DE

JOH. KEATSII

VITA ET CARMINIBUS

THESIM
FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
PROPONEBAT

AUGUSTUS ANGELLIER,

UNIVERSITATI AGGREGATUS
IN FACULTATE LITTERARUM INSULENSI DOCENS.

PARISIIS,
APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCII

DE

JOH. KEATSII

VITA ET CARMINIBUS

THESIM
FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
PROPONEBAT

AUGUSTUS ANGELLIER,

UNIVERSITATI AGGREGATUS
IN FACULTATE LITTERARUM INSULENSI DOCENS.

PARISIIS,

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCII

JULIANO GIRARD

QUEM

PROFESSOREM DISCIPULUS

PROVISOREM HYPODIDASCALUS ET PROFESSOR

BENEVOLUM ET AMICUM

EXPERTUS SUM

HOC OPUSCULUM GRATUS DICABAM.

AUGUSTUS ANGELLIER.

PRAEFATIO [1].

Sed tamen ut potero summatim attingere tangam.
LUCRETIUS, III, 260.

Graeciæ, artium matris et generis humani magistræ beneficia adeo sunt immortalia ut nunquam exstingui posse videantur et usque clariora renascantur; adeoque universa ut ultimas gentes et quam maxime moribus, sanguine et lingua ab hellenica prole distantes, diffuso lumine illustrent, tempus spatiumque transcurrentia. Quis enim, Graecia florente, cum templis undique adornabantur colles et circa deorum simulacra poetarum cantus resonabant, credidisset unquam fore ut remotæ gentes, crassis pruinis et longis hiemibus immersæ, quarum ignotum et barbare resonans nomen vix nautæ referrent, post multa secula, horum templorum ruinis, et cantuum relliquiis delectarentur? Imo quis credidisset fore ut ex paucis hujus quo splendebat Graeca tellus decoris fragmentis exemplaria suppeditarentur, unde illæ gentes quid pulcrum sit docerentur, aeternam et mutilatis e marmoribus integram mirantes pulcritudinem. Quæ tamen evenere adeo ut Graecia communis quædam artificum poetarumque patria et parens esse videatur.

Cujus rei nullum forsan nobilius exemplum est quam Johannes Keatsius, qui, ineunte hoc seculo, inter Britannos poetas inclarescebat. Etenim tam magno Graecæ pulcritudinis amore et admiratione perculsus fuit, ut totam paene vitam illius imitationi dicaverit et graecorum vatum discipulus dici possit. Et tantum antiquis hellenicis fabulis decus inest ut ex illa imitatione insignis poeta exstiterit et inter « repertores

[1] Hoc in opusculo, editione usi sumus quam protulit Harry Buxton Forman. IV vol. Londini, MDCCCLXXXIII.

leporum [1] » numerari queat, licet nihil aliud nisi quæ a nostris temporibus et cogitationibus aliena videantur cantaverit, scilicet :

Fana, lacus, lucos, aras, simulacraque Divum. [2]

Quanto studio Graecos scriptores prosecutus sit, quibus differentiis ab eis abfuerit, quali successu eos assecutus sit, considerare nobis operæ pretium esse visum est.

Non quidem poetæ vitam operaque ex toto circumspicere tentabimus. Minor nobis ambitio. Hoc satis habebimus si, ut nostri non nunquam architecti in illustrium virorum memoriam monumenta erigere solent, ad Graecorum imitationem delineata, ita nobis parvulam hanc et humilem, non sane e graeco marmore excisam, neque graeco caelo elaboratam, at saltem ad graecum exemplar exstructam, Keatsii memoriæ στήλην ponere fas fuerit.

---

[1] Lucretius. III, 1049.

[2] Lucretius. V, 76.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

I.

Pastores edera nascentem ornate poetam.
VERGILIUS. *Eclog.* VII, 25.

Johannes Keatsius, Londini, anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo quinto natus est, quattuor puerorum natu maximus, quorum duo fratres Georgius Thomasque et soror Francisca Maria. Obscuri ejus parentes nec de quibus quidquam notum sit quod ingenii quo filius praeditus fuit originem et fontem illustrare queat. Octavum annum ubi vix compleverat, patrem amisit qui equo delapsus interiit. Uno post anno, matrem alteri marito nuptam, partim perdidit; quarto post anno, defunctam vita, omnino. Quam vehementissimo amore dilectam vehementissimo luctu deflevit. Quatuordecim annos natus, cum duobus fratribus parvulaque sorore, orbus relictus est. Sic ardens et facile permotus puer, doloris plaga verberatus et pressu maestitiæ contritus, immaturum initium dolendi fecit et ad tristitiam proclivitatem mente in tenera cepit.

In schola haudquaquam insignis discipulus fuit. Non studiis, non lectioni haerebat; libros parvi facere videbatur. Natura pugnax animosusque et quodam iracundiæ et generositatis impetu raptus, frequenter puerilia praelia miscebat, in quibus, etsi parvulo nec valido corpore erat, audacter tamen et tenaciter, ut pueris Britannis mos est, pugnis certabat. Repentinam gravitatem, circa matris mortem, sumpsit et sese ardenter — sic enim cuncta agebat — studio tradidit. Lectiones

saepe diem, noctemque et totum ex ordine mensem [1].

pergebat. Eos imprimis libros devorasse dicitur qui, eo tempore, ad usum puerorum, Graecas scilicet fabulas et Deorum, heroum, virorumque mirabilia facta narrabant.

---

[1] Vergilius. *Georg.* III. 341.

Annos quindecim natus, medico Londini suburbia habitanti, ut discipulus, addictus est. Interruptam subito et imperfectam fuisse ejus educationem constat; et quæ causa fuerit cur, ad alius cujusdam Britanni poetæ instar, Latinarum litterarum non valde et Graecarum minime doctus fuerit, hic satis apparet. A caris et carioribus in dies studiis eum non libenter abductum fuisse verisimile est, sed necessitate coactum, ut ad vitam comparandam artem exerceret.

Quo ardore medicinæ studuerit haud compertum est. Hoc certum habemus permultos tunc eum libros nullo modo ad medicinam pertinentes legisse, et Vergilii Æneida, voluntaria disciplina, in Britannicam linguam convertisse, ut in Latina proficeret. Quadam die, Spenserii poemata unus ex amicis ei commodavit; quæ Keatsius summa admiratione perlegit, et primum in splendida poesi, in versuum pompa, in descriptionum magnificentia et varietate luxuriatus est. Memorabilis illa dies existimanda est, si magistrum Keatsii Spenserium multa ex parte fuisse recordamur.

Cum medico quatuor annos commoratus, ab eo repente alienatus est eumque reliquit; cujus discidii incognita causa est. In medicinæ arte perseverare cum consilium haberet, domicilium Londini collocare statuit. Sed mox in societate et deinceps in familiaritate adolescentium vixit, qui, ad alia ipsi studia tendentes, illius vitæ tenorem a proposito deflexerunt.

II.

Temporis illius colui fovique poetas,
    Quotque aderant vates rebar adesse deos.
Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo
    Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer.
Saepe suos solitus recitare Propertius ignes
    Jure sodalicio qui mihi junctus erat.

Ovidius. *Tristia*, iv, 10.

Magnum poetarum proventum hi anni tulerunt. Haud quidem mihi in mente sunt qui, famam jamdiu adepti, largam messem praebuerant, ut Wordsworthius, Scottus, Southeyius et Byro. Recentiores dico, novam poetarum segetem eo tempore crescentem, exsurgendique ad auras impatientem juventutem, ut cum

Frumenta in viridi stipula lactantia turgent [1].

Quorum alii, Shelleyius, Leighius-Huntius et ipse Keatsius magni nominis viri exstiterunt et ad clarum lumen eminuerunt; alii tantum ad

[1] Vergilius. *Georg.* i. 315.

quoddam famæ diluculum emerserunt; plures in obscuritate immorati sunt. Sed eorum nomina nondum Famæ « mystica vannus » separaverat. Æqua tunc omnibus ambitio, aequus fervor, aequum discendi, legendi, scribendi studium, et aequa conantibus aequa spes. Quod legebant, quod admirabantur, quod excogitabant, quod tentatum habebant, quod sibi tentandum proponebant, quod aliis tentandum existimabant, inter se communicantes, sese invicem in strenuo labore firmabant et ad arduos conatus excitabant. Addebantur de libris disceptationes, de artibus philosophiaque disputationes, de omnibus rebus controversiæ et ad mane productæ argumentationes ; nec deerat hilaritas, risus et faceta alacritas,

> Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
> Consuerant [1].

O fortunatos annos et postea saepe desiderio revisos ! Hujus vitæ particeps Keatsius erat : cum amicis, antiquos novosque scriptores lectitabat et annotabat, bibliothecas frequentabat, ad pinacothecas ventitabat, theatris utebatur, in poetarum pictorumque societate versabatur, incredibili aviditate quaerens omnia pulcra,

> delicias quoque vitæ funditus omnes
> Carmina, picturas et daedala signa [2].

Huic vero vivendi rationi aliquid vitii suberat : ad solam scilicet voluptatem dirigebatur ; non ardore, non labore, sed proposito et disciplina carebat ; et, cum oblectamentum potius quam nutrimentum appeteret, delectationem potius quam vires ex studiis hauriebat. His annis, Keatsius admirationis blandimenta magis quam scientiæ austeritatem videtur cognovisse, et, ex ipsis lectionibus, traxisse gaudia non praecepta. Morali parte cur ejus poesis egeat ratio inde elucet.

Dum tali modo vivebat, duo ei contigerunt quæ non parvi ad futuram vitam momenti fuerunt. Non magna quidem eventa si extrinsecus ea contemplaris, at, si ea contigisse memineris dum Keatsii ingenii inchoamenta informabantur, memorabilia sane existimabis, nec indigna quæ in ejus animi annalibus, ut ita dicam, memorentur.

Quorum prius ita fuit. Quadam die, Keatsio unus ex amicis forte librum commodavit, Homerum scilicet, non Graecum quidem, (Graecum enim sermonem noster ignorabat), sed a vetere scriptore cui Chapmanus nomen fuit, in Britannicam linguam translatum. Ut qui aevum in turbidis et violentis temporibus egisset, Chapmanus non is erat qui Graeci poetæ simplicitatem, dignitatem et grave decus redderet, omniaque illa clarissima et tranquillissima luce vestiret, ex qua harmonia oritur, in qua

---

[1] Lucretius. v. 1393.
[2] Lucretius. v. 1445.

omnia, etsi cruenta et atrocia, quadam venustate exornantur, ita ut non cruorem sed purpuram vulnera ostendere videantur.

Ἀκρότατον δ᾽ἄρ᾽ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός·
αὐτίκα δ᾽ἔρρεεν αἷμα κελαινεφὲς ἐξ ὠτειλῆς.
Ὡς δ᾽ὅτε τίς τ᾽ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων·
κεῖται δ᾽ἐν θαλάμῳ, πολέες τέ μιν ἠρήσαντο
ἱππῆες φορέειν· βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα,
ἀμφότερον, κόσμος θ᾽ ἵππῳ ἐλατῆρί τε κῦδος·
τοῖοί τοι, Μενέλαε, μιάνθην αἵματι μηροὶ
εὐφυέες, κνῆμαί τ᾽ ἠδὲ σφυρὰ κάλ᾽ ὑπένερθεν [1]

Talia neque intelligi nec reddi a Chapmano potuerunt; sed vim habet, ardorem, martium spiritum, animosum impetum et audacem. Grandisoni volvuntur reboantque versus, et praeliorum clamoribus ac tumultu remugientes, frementesque antiquorum temporum ferocitate, ruunt. Non falso fingeres Ennium eamdem incultam asperamque Homeri speciem retulisse, quibus in locis eum imitatus est. Robore et incitatione nihilominus Chapmani translatio aliis praecellit, a delicatioribus magisque fastidiosis scriptoribus confectis, in quibus attenuata et expolita Ilias, non ut ensis ex incude, sed ut acus ex limula splendescit. Aliæ ad effigiem vitæ informantur; hæc vivit.

Librum incredibili admiratione legit Keatsius. Recentiores multosque Britannos poetas lectitaverat; nondum ad poesis caput fontemque accesserat. Poematis majestate et magnitudine perculsus est; ingens eum cepit veneratio horrorque, cum undique novas et inexploratas poesis regiones porrectas contemplatus est. Se ipse vel astronomo comparabat qui ignotum sidus invenit, vel militibus ignotas regiones prospicientibus:

Audiveram saepe de immenso tractu
quem pollenti fronte Homerus ut suum regnum regebat;
sed illius regionis purum aera duxeram nunquam,
priusquam Chapmanus eam mihi clare et superbe patefecerit.
Tum mihi visus sum ut caeli scrutator,
cum labitur intra intuitum ejus novum sidus;
vel qualis fortis Cortezus fuit, quando ut aquila aciem intendens
Pacificum mare prospexit, dum omnes circa eum milites,
inter se spectantes, confusi, stupentes,
super montis fastigium stantes silebant [2].

Maximi hanc lectionem in Graecis Keatsii poematibus momenti fuisse pro certo habere possumus.

Altera, eodem tempore, ejusdem generis res contigit. Erat inter Keatsii

---

[1] Homerus. *Ilias*, IV, 139.
[2] Keatsius. *On first looking into Chapman's Homer.*

amicos amicissimus Haydo, pictor, vastæ ambitionis et strenui laboris homo, cui nonnullae ingenii partes inerant, fervor, scientia, ardens tenaxque studium, altæ cogitationes, et totius vitæ uni ambitioni addictio. Deerat autem suprema creandi facultas, quæ ingenium ipsum est. Magna tentavit, mediocria perfecit, vires ambitioni impares frustra intendens, donec, frustra nitendi lassitudine et desperatione victus, voluntaria morte e vita decessit. Sed illo tempore sperare ac niti nondum desierat. Conspicua, ut pro temporibus illis, ei erat artium historiæ scientia, rectum et liberale judicium, ut magis egregia sint quæ de arte scripserit quam quæ in arte perfecerit, et fuerit melior judex quam artifex.

Magna tum controversia erat de marmoribus quæ, a nobili viro ab Athenarum Acropoli ablata, paucis ante annis, in Britanniam convecta fuerant. Nuper a possessore, pecunia publica, comparata, magno quidem pretio si summa, nullo si res consideratur, in Musaeo quod Britannicum appellatur, erant exposita. Incredibile est homines fuisse qui absoluta et perfecta opera, Graeciæ decus et ornamentum, carpserint et detrectare conati sint. Alii eadem laudabant, extollebant, fere divina proclamabant. Hos inter ardentissimus Haydo dissertationem composuit in qua immortalia signa cur et quantum admiraretur lucide necnon diserte exposuit.

Graecas ad statuas persaepe Keatsium ducebat, et coram nobilissimis fragmentis artis nobilissimæ ambo, quadam reverentia perculsi, stabant multasque horas consumebant. Ita Keatsius antiquæ vitæ splendorem aestimare didicit, quo tempore pauciora erant exemplaria, nec tam bene intelligebantur, nec tanto quanto nunc cultu circumdabantur. Ita Britannicum Musaeum frequentare assuevit, in eoque priorem saepe diei partem consumere, spirantia signa inspiciendo quæ, quia Athenarum, totius Graeciæ veluti corona fuerant. Non est quin ex illis contemplationibus aliquid retulerit; non est quin ea manus, quæ tam sublimia finxit, quamdam pulcritudinis effigiem in illius mente sculpserit. Certum est Keatsium, ex visitatione in qua Graecam urnam diu contemplatus erat, absolutum illud et exquisitum domum retulisse poema, quod Graecam venustatem et elegantiam reddere videtur.

Apud sodales amicosque mox Keatsius maxima gratia fuit, primumque locum obtinuit ab omnibus, non magis admiratione quam caritate concessum. Nec fieri poterat ut non primas ageret, quibuscumque conversaretur hominibus. Parva erat statura, sed compacto corpore agilique incessu; pulcra mobilisque facies, nigris et latis et lucidis oculis conspicua, qui, continuis vicibus, ira et amore micabant et facile lacrimis suffundebantur. Omnes mentis motus cogitationesque in facie apparebant, ut modo generositate refulgeret, modo admiratione luceret, modo indignatione inflammaretur. Nonnunquam in altis longisque silentiis mersus, procul a communi sermone vagari videbatur; sed, si quoddam cum ad sermonem

verbum revocabat, magno acumine, urbanitate, hilaritate et, si de graviore re ageretur, summa eloquentia disserebat. Ardens vehemensque sed generosa ejus natura, et, praecipiti quodam impetu magis quam inclina tione, ad omnia bona pulcraque prona. Fidem, liberalitatem, honestatem, omnia quæ virum decorant, habuit. Magnum virtutum indicium quod singulariter ab universis sodalibus dilectus est. Nihil admirabilius est quam quanta caritate et constantia eum amici amaverint, quanto studio pauperem adjuverint, quanta sollicitudine aegrum curaverint, quanto dolore desiderioque mortuum fleverint et recordati sint. Eum certatim omnes diligebant; ea ejus illorumque laus sit benevolentia.

Duos fere annos, isto modo, Keatsius, multa legendo, multa videndo, multa audiendo, vitam duxit. Simul versus componebat, scribebat, amicis recitabat et ad eorum judicium deferebat. Ingenti cum plausu legebantur, laudibus commendabantur, editione digna declarabantur. Quibus incitamentis inductus, primum librum publicare statuit, et Martio mense millesimo octingentesimo septimo decimo anno publicavit.

Non poemata erant, sed, ut Plinius ait, poematia: fragmenta ad Spenserii imitationem scripta, versiculi, carmina brevia ad occasionem ficta, et remotiores ad amicos epistulæ. Nascentis poetæ jamjam hæc promissa dabant, namque pedestris Musa interdum altiora petebat, et e planitie, tam facili et quasi nescio gradu, ad summos colles progrediebatur, ut subitam excelsitatem mirans latissima spatia prospiceret.

Juvenis poetæ libellum publica fama parum vel, ut verius dicam, nullo modo notavit. Sed beatis forsan in sedibus ubi « nivea cincti tempora vitta » immortales inter se sermones poetæ continuant, dulcem Propertius, assentiente Vergilio, dixit versum :

Phoebe fave, novus ingreditur tua templa sacerdos [1].

[1] Tibullus. II. 5.

CAPUT II.

I.

> Et me fecere poetam
> Pierides ; sunt et mihi carmina ; me quoque dicunt
> Vatem pastores.
>
> Vergilius. *Eclog.* ix, 32.

Musarum societatem postquam homo quilibet, poeta natus, cognovit, non longius sui juris sed earum est, et vinculum solvere neque possit, neque velit. Ab eo tempore poetam sese esse Keatsius agnovit. Publicum silentium et negligentiam parum videtur curavisse ; nam non ex alieno judicio pendere sed sui ingenii fiducia niti consuebat. Primum volumen nihil aliud existimabat esse quam prima arma, quibus adolescentes exerceri solent, quaeque neglegere, cum vera arma non ad exercitationem sed ad praelium procusa assumunt. Sine ulla animi demissione, novum poema aggredi decrevit, et rem in manu fidenter ac strenue sumere nec dubitavit nec moratus est.

Prudens consilium vel ipse sumpsit vel amici dederunt. Procul ab urbis tumultu continuisque avocamentis, quibus distrahi animus solet et in unam cogitationem totum se impendere prohiberi, ad solitudinem et tranquillitatem ruris confugere statuit, ubi nihil intervenit quod mentem ab opere detorqueat, et facile est in cogitationibus permanere, quoad familiares fiant. Hic apud Britannos poetas communis mos est, quorum non nulli cuncta poemata, multi multa, nullus fere nulla ruri scripserint. Verba Plinii omnes cognovisse et laudavisse videntur : « O mare! o litus! verum secretumque μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis! » [1]

Igitur circa idus Aprilis, anno millesimo octingentesimo septimo decimo, ab urbe discessit Keatsius, semotum et quietum locum petiturus, ubi arborum umbram, solitudinem silentiumque « magna cogitationis incitamenta » [2] inveniret. Insulam Vectim advectus est, quæ caeli mansuetudine amoenissima, spectaculo maris undique innumeris velis albentis

---

[1] Plinius. *Epist.* i. 9.
[2] Plinius. *Epist.* i. 6.

gratissima, et magna florum profusione arborumque densitate virescens, idoneum poetis locum praebet.

Novum ibi poema Keatsius, quod Endymion inscribendum erat, strenuo ardore suscepit. Tanta eum poesis fames sitisque ceperat ut nullum diem contentus praeterire sineret, quem non scribendis versibus consumeret. « Experior me sine poesi, sine perpetua poesi vivere non posse. Non semidies mihi satis est; diem requiro totum. Quod hisce nihil paucis diebus scripsi, angor.[1] » Insatiabili componendi studio urgebatur.

Illo in secessu, tanto fervore vel potius furore sese labori tradidit ut, diei agitatione per vespertinas horas pergente, somnus fervido capiti non insidere posset. Insomnes noctes, continuatis cogitationibus agitatæ et quiete expertes, febriculosum animum exasperabant, non sedabant, et mane non recreatum sed exhaustum linquebant. Cujus mali causa erat quod, summa hac in solitudine, nunquam a se abstrahebatur et ingenii sine ulla intermissione flagrantis interiore igne consumebatur. Quare dimidio exacto mense, insulam Vectim linquens, parvam petiit maritimam urbem ad Thamesi ostia jacentem, in qua junioris fratris societatem inventurus erat. Duos ibi menses postquam remanserat, eadem mobilitate impulsus, incipiente aestate, Londinum reversus est.

Ex urbe, jamjam vergente ad autumnum anno, Oxoniam, cum amico remansurus, petivit, qua parvus fluit sed celeberrimus fluvius Isis qui in tot illustrium Britannorum scriptis celebratur. Neque immerito, nam nihil amoenius esse potest. Per herbosa prata ubi sunt

populus et glauca canentia fronde salicta [2],

sinuosis maeandris pellucida unda fluit. Cum Universitatis discipulos modo contra aquam remigantes, modo secundo flumine defluentes vides, menti occurrit Plinii pictura : « Jucundum utrumque per jocum ludumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare [3]. » Nec indignus amnis est cui sequentem quoque lepidam descriptionem aptes. « Ripæ fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas perspicuus amnis, velut mersas, viridi imagine adnumerat.[4] »

Ibi, ipse et amicus, naviculam remis propellentes, multas dies consumpserunt. Navigatione nonnunquam intermissa, et adligata cymba ad arboris truncum super aquam inclinatæ, remoto in sinu, longis horas sermonibus terebant, vel philosophicam quaestionem disputando vel poetarum versus recitando. Non nullum illæ in Keatsii ingenio momentum

---

[1] Keatsius. *Epist.* VII.

[2] Vergilius. *Georg.* II. 13.

[3] Plinius. *Epist.* VIII. 8.

[4] Plinius. *Epist.* VIII. 8.

dies habuerunt, a quibus aliquot in poema contulit descriptiones, quæ omnes motus aquæ exprimunt, vel medio in flumine properantis, vel circa ripas molliter tardantis. Versibus quoque fluvium sua dulcia murmura dedisse credas.

Mirum est tanta in discursatione et perpetua locorum mutatione, quam firmiter labori suo adhaeserit et inceptum opus uno tenore insecutus sit. Excepto quod ex alio ad alium locum itineribus et variis peregrinationibus consumebatur, nullam fere diem opera expertem elabi passus est. Ab amico dicitur, dum apud eum Oxoniæ remansit, cottidie ante meridiem versus scripsisse quinquaginta. Hoc sibi impositum pensum constituerat, et si quando interruptum linqueret, postera die, infectam partem cottidianæ operæ adjiciens, amborum dierum laborem absolvebat. Litteras ipse alium ad amicum mittens, se intra unum et viginti dies mille versus scripsisse nuntiabat. Quod non minus voluntatis vim quam ingenii fecunditatem indicabat.

Ex hoc intellegi potest non eum fuisse unum ex scriptoribus qui facilitatem labore acquirunt et expolita limataque opera, longo tempore, curiosa industria, crebris emendationibus, ad summum adducunt. Tanta illius ubertas ut eum versus eloqui potius quam componere dixeris, et oratoris potius quam poetæ more extemporales figuras invenire, nisi, singulari quadam facultate, in numeris et modulationibus poesis nascerentur figuræ,

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos [1].

Ex sui observatione ipse dicebat neminem esse poetam, qui non illo impetu et flumine veheretur. « Nisi poesis ex homine sponte sua oriatur perinde ac folia ex arbore, satius est eam haudquaquam nasci. » [2]

Quod si mira est magna illa assiduitas, non mirum est poema magna celeritate crevisse ita ut, intra menses qui primas rubentes gemmas a primis flavescentibus foliis separant, pari augmine quo arbores, surgere, virescere, frondescere et vasta ramorum superbia gloriari visum sit. Ipse, poema cum in manu cepisset, in exordio primoque in limine, quo incessu se per laborem progressurum esse speraret designaverat, et suam singulis anni temporibus partem assignaverat, ita ut inceptum vere incipiente opus, finiente finiretur autumno.

En incepturus sum
nunc cum procul ab urbis tumultu absum,
primæ cum gemmæ recentissimæ sunt,
novosque confuse spargunt colores
per antiquas silvas; cum e salicibus gracilia pendent

---

[1] Ovidius. *Tristia*. x. 25.
[2] Keatsius. *Epist.* xxxiv.

virgulta succino flaviora, et puellæ vasa
lacte graviora domum referunt. Annus quando
pleno succo caules distendet, tranquille ducam
parvulam meam ratem, multas quietas horas,
rivulos sequens qui sub arboribus profundiores et gelidiores fiunt.
Magnam versuum copiam me scripturum spero,
antequam candidæ bellides rubro ora tinctæ
altioribus abscondantur in herbis; et antequam apes
circa globata folia fabarumque flores susurrent,
jam medium iter mei poematis teneam oportet.
O utinam nuda nivosaque Hiems
non meum semiperfectum opus videat; ferax sed Autumnus
omnia tranquillo auro perfundens
me undique circumstet, qua die ad finem perveniam [1].

Designatum iter tam certo gressu secutus est ut, adveniente hieme, poema perfectum sit super quattuor millia versuum numerans. Hiemem Londini in praeparanda editione consumpsit. Primos insequentis anni menses rursus ruri exegit dum librum, qui tunc excudebatur, emendabat. Per idem tempus multa minora scripsit poemata, tanta fecunditate, ut unaquæque dies aliquid operis inceptum vel finitum videret.

II.

Cum spes arrectæ juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans.

VERGILIUS. *Georg.* III, 105.

Ea Keatsio læta et spei plena tempora fuerunt. Futurum fidenter prospiciebat, expectans promissa vitæ. Longa dierum spatia, præ se patentia, sibi inire videbatur, vivam et vivacem ambitionem in corde fovens, per laborem studiaque ad famam enitens. Non incultam otiosamque facere vitam volebat; non ingratam infecundamque fore sperabat. Multa discere, multa videre, multa scribere cogitabat.

Imprimis magna omnia discendi, omnia legendi cupidine ardebat. Sese multarum rerum ignarum et cognoscebat et agnoscebat. Primam educationem, quæ curta tantum et inordinata inchoamenta non corpus praebebat, reficere meditabatur, vel fundamenta potius novæ educationis ponere, quam ipse ex integro instauraret. « Nihil scio; nihil legi et mihi in animo est Salomonis consilium sequi: « Disce et sapientiam acquire ». Effugisse jamjam adolescentiæ dies cognosco; nullum his in terris gaudium me inventurum sentio nisi ex continuo haustu scientiæ. Reperio nihil dignum esse quod prosequamur, nisi propositum hominibus confe-

---

[1] Keatsius. *Endymion*, 39.

rendi aliquid bonum. Hoc alii suo commercio efficiunt, alii urbanitate, alii benevolentia, alii quadam facultate omnibus quibus obvii fiunt gaudium laetitiamque impertiendi, multique alii multis aliis modis, qua diversitate magna naturæ decreta peraguntur. Una mihi via est. Per industriam, studium, laboremque iter jacet. Hac ibo [1]. »

Primum Graecæ linguæ studio sese tradere in animo habebat.« Litteras meo fratri scripsi ut libros mihi mitteret; Graecum sermonem discere mihi mens est, Italicumque fortasse... Antiquo Homero innutriri cupio, sicut ambo ex Shakspeario alimenta sumpsimus, utque ego ex Miltone nuper [2]. » Nec cum poetis tantum sed et cum philosophis colloqui statuerat « Mihi consilium est, hunc post annum, ab Hazlitto rogitare quod sit optimum ad metaphysicam iter. Namque mihi quanquam super omnia est poesis, attamen aliis rebus opus est homini qui cum libris et de libris cogitationibus vitam acturus sit [2]. » Ex iis quæ de ejus ingenio et voluntate novimus, huic novæ culturæ nec amplitudinem nec disciplinam defuturas fuisse affirmare licet.

Nec cum mortuis tantum hominibus, quorum perstat in libris sermo, sed cum vivis etiam vivere meditabatur, nec praeteritorum tantummodo temporum facta sed et longinquarum regionum mores cognoscere cupiebat. Longe lateque peregrinari, totam Europam lustrare, visere urbes, ascendere montes, loca claris factis illustrata vel ob pulcritudinem famosa adire, sibi proponebat; « si ex meis libris mihi confertur facultas, Europam per vices perrerrabo et adspiciam terræ regna eorumque gloriam [4] ». Nec itinera confecturus erat ut locorum varietate tristitiam fugeret et se vitæ ponderi subduceret, sed ut scientiam acquireret, nova videret, plura admiraretur et, magna spectaculorum copia et collatione, referret unde mens adornaretur et scripta alerentur. Non discursatio sed investigatio in proposito erat.

Manifestum est hominem qui vitam, tam constanter, inter tam certos labores firmaque proposita, distribuerit, nec desperatione, nec diffidentia, nec satietate tentari. Non primarum cupiditatum agitationem, non primorum conatuum strenuitatem, non primæ ambitionis alacritatem sequuntur taedia vel aerumnæ. Dolet decepta et non raro expleta ambitio, sed in spei incunabulis expergiscitur. Mane cum incipiunt Olympia, inter tot juvenes sese ad ludos aptantes et ad certamina accingentes, dum, lauri laudisque avidi, jamjam suam frontem viridi fronde vinctam videre et suum nomen triumphali cantu celebratum exaudire sibi videntur, superbiam, arrogantiam, temeritatem, impatientiam, ardorem nimium,

---

1 Keatsius. *Epist.* XLV.
2 Keatsius. *Epist.* XLV.
3 Keatsius. *Epist.* XLV.
4 Keatsius. *Epist.* XLII, XLI.

fortasse invenias, nullam maestitiæ particulam. Haud dissimili tum animo Keatsius erat. Ei non fastidia sed fastigia vitæ apparebant.

Epistulas quibus talia expromebat, anno millesimo octingentesimo duodevicesimo, ad varios amicos, per Aprilem mensem scriptas fuisse notandum est, ita ut eum hactenus spei et propositorum plenum fuisse cognoscamus.

CAPUT III.

> Praeterea modo quom fuerit liquidissima cœli
> Tempestas, perquam subito fit turbida fœde,
> Undique uti tenebras omnis Acheronta rearis
> Liquisse et magnas cœli complere cavernas,
> Usque adeo, taetra nimborum nocte coorta
> Impendent atræ formidinis ora superne.
>
> LUCRETIUS. IV, 160.

Quibus ex causis mutatus sit repente ille animi habitus, et lux, qua Keatsii vita illuminabatur, subito foedata et obscurata fuerit, haud facile deprehendere est. Verisimile est eum secreti et periculosi morbi veneno sese infestari subito percepisse.

Certum est, parvo in intervallo quod inter finem Aprilis et Junii mensis intervenit, magnam intervenisse animi mutationem. Etenim si epistulis, de quibus supra diximus, comparantur epistulæ finito vix mense scriptæ, admirabile est quantum, tam brevi temporis momento, mutatus sit ab ipso. Quam prioribus dissimilia hæc, die octavo ante Calendas Junias, ad amicum scribebat! « Hodie mane tanto torpore premor ut scribere nequeam. Hisce temporibus, adeo infractus animus est, ut nullam sententiam excogitare possim tibi mittendam. Plumbeae mihi manus esse videntur. Invisus marcor hic est qui aegritudinem vivendi non hebetet .... Eo animo sum ut, si subter aqua essem, aegre imum calce ferirem ut ad summum resilirem [1] ». Nec multo post, quarto die ante Idus Junias, ejus tristitiam graviorem et acerbiorem factam esse manifestum est, ex his amarioribus verbis quæ mittebat amico, primum ubi quoddam ostenditur mortis desiderium, frequenter rediturum. « Nuper sperabam me eum fore qui tuam maestitiam hilaritate mea levarem et tibi non nulla his in terris perfruenda ostenderem. Nunquam nunc sedeo solus, quin mihi gratuler quod letum sit, quin pro magna humana causa, mori exoptem [2]. » Non jam ille est qui modo fecundæ primitias vitæ legebat, sed qui inutilis vitæ relliquias et quasi cineres spectat.

---

[1] Keatsius. *Epist.* XLVII.

[2] Keatsius. *Epist.* XLVIII.

Eo mirabiliores et minaciores illæ aerumnæ erant quod tunc ver erat. Omnibus difficilius est juvenilibus animis tristibus esse,

Praesertim quom tempestas arridet et anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas [1].

Keatsius antea, singulariter et incredibilem in modum, caeli dulcedine et pulcritudine delectari et recreari solebat. Ipse aiebat « Serenitate caeli delector ; me caeli serenitas laetissima voluptate permulcet [2] ». Omnia autem nunc vana erant. Nec rursus eum perdita reviset laetitia ; nec eum linquet maestitia, modo asperior, modo remissior, nunquam abigenda.

Circa Idus Junias, Londino abiit. Fratrem fere ad navem comitatus est, post se natu maximum, juveni cum conjuge ad Americam proficiscentem, ut novo in mundo, ubi minus acriter ad vivendum contendunt rariores per vastiora spatia homines, faciliorem vitam tentaret. Non sine maestitia lacrimisque, non sine mutuis ad fortiter vivendum, ad strenue perseverandum, ad bene sperandum exhortationibus, non sine crebris cottidianæ recordationis promissis, et amplexibus nunquam ad supremum pervenientibus, alter ab altero divulsi sunt fratres. Nec communes fraternæ caritati dies multi reservabantur.

Inde propositam per Caledoniam peregrinationem instituens, cum amico Keatsius ad Septentrionem perrexit. Pedestri itinere progrediebantur ut, variis de causis, poetas decet, primum quod eis, antiqua ex auctoritate, haud raro

Plenus sacculus est aranearum [3],

deinde quia peditibus otium est singula commode et ad arbitrium spectandi. Illam celebratam Britanniæ partem exploraverunt quæ, propter multos non ita magnos sed lepidos lacus, in non ita magnis sed formosis montibus quiescentes et splendentes, poetis aliisque scriptoribus gratissima statio facta est. Deinceps Caledoniam intraverunt, austeram tristemque regionem, sed majestate et fera pulcritudine decoratam. Abrupta sinuosaque saevi maris litora secuti sunt, quorum continuo mugiunt scopuli, fluctibus lacessiti circumsilientibus,

Et scopulis illisa reclamant
Æquora [4].

Lacus viderunt superpendentibus silvis circa ripas obscuros, mediaque in unda splendidos, vastas solitudines desertosque tractus infinitis rubrarum

---

1 Lucretius. II. 32.
2 Keatsius. *Epist.* CVII.
3 Catullus. XIII. *Ad Fabium.*
4 Vergilius. *Georg.* III, 261.

myricarum vepreculis vestitos, montes ex nigris abietum nemoribus exstantes, et coruscantes mirabili splendore super montium culmina nubes; nam cum cadentis in occiduum mare solis fulgore suffunduntur,

> Flammeus est plerumque colos et splendidus ollis [1].

Locorum asperitatem, montium sublimitatem horroremque admiratus, non nullas inde descriptiones abstulit Keatsius, quibus usus est in poematis praesertimque in hac Hyperionis parte, ubi horrida taetraque describitur montium, torrentium, saxorumque regio, afflictorum Gigantum strage completa.

Duos menses per illam desolatam regionem vagatus est Keatsius, salebrosas vias ignotosque sequens tramites, longos terrarum tractus, vel omnino desertos, vel raris pauperibusque casis consitos, lustravit. Duram et laboriosam vitam! Namque haud semel evenit ut ambo amici, postquam totum diem, per incultam regionem ambulaverant, fessa trahentes membra, iterque ad proximam sed longinquam cauponam aegre continuantes, vix cibum et cubile invenirent. Adde frigus, gelidas caligines frequentesque pluvias illis in oris, ubi non cottidie modo, sed in die compluries,

> Praetexens picea ferrugine caelum
> Venturam admittit imbrifer arcus aquam [2].

Quod si hæc iter faciendi ratio robustum valensque corpus roborat et indurat, debile nec valde firmum nimia lassitudine quassans frangit. Quod Keatsio accidit. Exasperatæ inflammatæque fauces adeo doluerunt ut, quamvis pertinacem nervosamque voluntatem haberet, tamen iter abrumpere, amicum viam pergentem invitus linquere et quam citissime ipse Londinum redire coactus sit. Tam fessus, regressus est, tam obsoletis vestibus indutus, tamque adustus,

> Ceu pulvere ab alto
> Cum venit et sicco terram spuit ore viator
> Aridus,[3]

ut vix eum amici agnoscerent.

Post reditum, multa tristia, multa sollicita, multa turbata eum manebant, adeo ut, ex eo tempore, illius vita nihil aliud fuerit nisi longa maestitia, quam diversi informaverunt dolores, anxietates, aerumnæ tumultusque, ut venti plures, variis ex partibus, in unam procellam coeunt.

---

1 Lucretius. VI, 208.
2 Tibullus. I, 4.
3 Vergilius. *Georg.* IV, 96.

Postquam ipse valetudine affectus Londinum reversus est, minorem natu fratrem, jam diu pthisi aegrotantem, invenit debiliorem et morbo gravius implicitum. Eum diligentissime et attentissime curavit, a latere ejus discedere recusans. Eum paulatim marcescere, languidiore valetudine deprimi, et increscente in dies debilitate ad finem inclinari vidit. Nec maestius quidquam et summa miseratione dignius fingere est quam duos fratres, parentibus orbos, nullum solitudinis, morbi, paupertatis solatium habentes, nisi mutuam caritatem. Ægrum adolescentem hiems confecit. Septimo die ante idus decembris, fratrem annos viginti natum sepelivit, ita ut intra sex menses alterum fratrem exilio, alterum morte amiserit, neque unquam desideriis luctuque caruerit. Fratris morte adeo oppressus est ut laborem jacere sineret, et studia videretur non resumere posse; ita ut tristes Catulli versus et querela illius in animo resonarent :

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
    Abstulit. O misero frater adempte mihi !
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
    Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
    Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
    Hæc studia atque omnes delicias animi. [1]

Unam tota ex familia relictam, carissime dilectam sororem, cui epistulas fraterna ac fere paterna sollicitudine plenas scribebat, in tutoris domo viventem parum fratri propitii, raro videre poterat, raro alloqui. Eam, quamvis in alia ejusdem urbis parte habitantem, tamen longe a se crescere et adolescere sentiebat, novumque ex hoc discidio dolorm et solitudinis exacerbationem capiebat.

Eum, eodem tempore, non modo feriebant curæ de futura vita, sed jamjam de praesenti premebant anxietates. Tenuem a parentibus pecuniam partim in suum victum, quamvis magna frugalitate et simplicitate vivebat, consumpserat; partim larga et semper parata liberalitate ad sublevandos amicos expenderat. Eo adductus erat ut jam inter angustias esset et mox se ad egestatem venturum prospiceret. Res exiguæ artiores in diem usque ad inopiam contrahebantur. Nulla ex libris pecuniæ spes, nulla subsidii. Quo se converteret? Quid faciendum? Quid tentandum? Modo Edinam commigrare statuebat, ubi sese ad medicinæ artem rursus applicaret suaque studia perficeret, modo navem ad Indias cursum parantem conscendere ut medicus. Num, ut hæc vilia, quæ non vita sed instrumenta vitæ sunt, possideret, studiis et poesi, dulcissimis vitæ solatiis

---

[1] Catullus. XLVIII.

vitaque ipsa carioribus renuntiandum erat? Num ad vivendum omnia quibus vita digna est quæ vivatur cogeretur amittere,

Et propter vitam vivendi perdere causas? [1]

Ex variis et fluctuantibus consiliis, ex amaritudine amittendi omnia quæ vitæ mitigant amaritudinem, desperatio nascebatur quæ, oculos in caliginem defigens, nihil prospicere, nihil praesagire, nihil extimescere videbatur.

Adde quod in itinere contracto faucium dolore non liberari poterat, sed fere sine intermissu laborabat, ita ut foras exire non illi frequentissime liceret. Domi inclusione et molestia non acerbæ sed assiduæ inflammationis exasperabatur.

Tristia igitur erant tempora cum absentis fratris desiderio, mortui luctu, inopiæ non tantum metu sed pondere, corporeo cruciatu, valetudinis vacillantis impatientia, incertæ ambitionis jactationibus, aerumnis, curis, angoribus innumeris, et universa tristitia cunctis ex illis orta illaque cuncta amplectenti, per vices, miser, inquietus, saucius, exulceratus, demissus distrahebatur, cruciabatur, omni modo dolebat, et sua vulnera, propter innatam fortitudinem, celare conabatur.

Mox hisce agitationibus insuper accessit nova perturbatio quæ, omnes inter animi affectus, vehementissima saevit et ineluctabilis. Nondum amaverat Keatsius et se nunquam amaturum esse gloriabatur. A se amorem amovebat, diversas propter causas in quibus dubium est utrum magis pollens fuerit studiorum cura et carissimæ solitudinis defensio, an formido ne admissus amor tyrannidem occuparet. « In matrimonium me nunquam iturum spero, etiam si mulier formosissima me ad itineris, ad ambulationis finem exspectet [2] » — « affert matrimonio meo difficultatem judicium quod semper de maxima feminarum parte habui, quæ mihi videntur infantulæ esse quibus crustula potius quam meum tempus dem. Qua re lætor [3] ». Amorem spernebat irridebatque. Periculosam superbiam et metuendam!

Deus crudelius urit
Quos videt invitos succubuisse sibi [4].

Namque si nondum amaverat Keatsius, jam pridem amaturus erat. Ad amandum, suą eum in pulcritudine delectatio, illa ipsa solitudo quam amori obstare putabat, incitabant; ad vehementer amandum,

---

[1] Juvenalis. VIII. 84.
[2] Keatsius. *Epist.* LXX.
[3] Keatsius. *Ibid.*
[4] Tibullus. I, 8.

destinabat quædam corporis animique vehementia et ipsa dilatio amoris. Adde quod poeta erat, et præter ceteros homines incenduntur poetæ :

Nec res ulla magis quam Phœbi delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur [1].

Assiduis jamdiu de amore cogitationibus parabatur, suaque propria poesi, in qua hominum Deorumque amores miro fervore depingebantur. De insidioso deo loqui, non tutum est ; scribere, periculosum. Jam saucia mens est ;

Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli [2].

Nec diu desideratur vulnus. Hoc Keatsio fatum instabat. Jam semel leviter præstrictus fuerat ; puellam verisimile est, qua laesus fuerat, non illam micam salis habuisse [3], sine qua non perdite capiuntur amantes. Incolumis tunc evasit Keatsius. Sed quam proxime obviam invenit puellam, ea « tota merum sal » fuisse debuit [4], ut tam ineluctabili et insanabili vulnere miser confectus fuerit. Non amore captus sed correptus fuit. Ut longo æstu siccæ ignem avide corripiunt silvæ et favillam in incendium vertunt, sic in illius animo, omnia ad conflagrationem parata subito exarserunt.

Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus
Robora comprendit frondesque elapsus ad altas
Ingentem caelo sonitum dedit [5].

Non eximiæ formæ nec superioris ingenii puella erat. Non quidem indigna nec digna quæ a Keatsio amaretur, neque unquam satis se a magno amari poeta, cujus cultu viveret immortalis, videtur intellexisse. Quantum autem in Keatsii animo tumultum, quantam procellam hæc vis et violentia amoris, aliis perturbationibus superaddita, irritaverit, fingere haud difficile est.

Per illos turbatos dies quam firmiter labori adhaeserit admirabile est. In naufragiis, cum quassatæ navi vel parva, vel nulla salutis spes est, nautarum alii omne molimen abjicientes, fracto animo, demisso capite, inutilia inertiaque corpora, jacent ; alii vero, etiamsi nihil sperandum, aliquid tamen tentandum existimant, et incassum laborem incassa

---

1 Lucretius. VI, 154.
2 Propertius. II, 18.
3 Catullus. LXXXVI. *De Quintia et Lesbia.*
4 Lucretius. IV, 1150.
5 Vergilius. *Georg.* II, 302.

ignavia potiorem habentes, ad extremum enituntur et ἐνέργειαν usque in letum proferunt. Talis indolis Keatsius erat; indomitam semper servabat firmitatem. Non, in turbatissimo vitæ tempore, laboris tenorem interrupit. Ad morientis fratris lectum dum adsidebat, novum poema cui Hyperio nomen est incepit. Undique agitationibus doloribusque vexatus, multa scripsit poemata, quibus nihil ornatius, nihil splendidius scripsit. Nunquam largiore fluctu,

Aurea divinas urna profudit aquas [1].

Tandem unus ex amicis, Brownius, cujus nomen ob amicitiam servari decet, qui Keatsii ingenium admirabatur futuræque gloriæ confidebat, pecuniam ei credidit, unde aliquantisper vivere et in labore perseverare posset. Illam accepit Keatsius: « non a me obtinere possum ut a meis dilectis desistam studiis. Consilium cepi vitam rus subducendi ibique quid mens mea queat iterum tentandi [2]. »

Placuit eum iterum rus recedere ut, summa in tranquillitate, librum scriberet, quo fortunam experiretur et, ab aliquot criticorum judicio, ad universam omnium qui poesim amant opinionem, rem transferret. Locum exquisivit, pagum, vicum, parvulamve urbem ubi, quam minimo pretio, pauperum ritu vivendo, non auream sed aeream mediocritatem per paucos menses sustineret, dum novum opus, supremam spem, perfecisset.

Circa nonas Julias, insulam Vectim rursus adiit, exiguaque in urbe, cui nomen Shanklin est, domicilium collocavit. Amoenissimus et, hisce temporibus, tranquillissimus locus studiosoque otio idoneus. Ad mare sita est urbicula, in littoris anfractu, a superiore cujus parte rivus desiliens vasto aequoris murmuri tenuem susurrum miscet. A tergo collibus protegitur unde cum ipsis clivis caeduæ silvæ ad fluctus descendunt; a fronte meridiem subjacensque mare prospectat. Mira caeli clementia, quod tepor solis augetur anfractus repercussu. Magna loci diversitas et jucunditas quam visam a Plinio esse crederes. « Litus ornant varietate gratissima, nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ praestant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso litore utare, quod nonnunquam longa tranquillitas mollit, saepius frequens et contrarius fluctus indurat [3]». A villæ fenestra in celsiore urbis parte sitæ, Keatsius mare prospiciebat, navesque in diversa tendentes, quæ, ipse ait, inferiorum villarum super tecta labi videbantur.

Ibi caeli dulcedine illius valetudo sublevata est, regionis amoenitate tristities, vitæ tranquillitate jactatio. Intermisso nunquam labori spes rediit intermissa. Assueta diligentia et fecunditate scribebat. Intra

---

1 Propertius. II, 20.
2 Keatsius. *Epist.* XCVI
3 Plinius. *Epist.* II, 17.

sesquimensem poema solus, cum amico tragoediam, condidit; quorum primum Lamia, altera Otho inscribitur, hæc mediocris, illud inter pulcerrima. « Duobus his mensibus supra quingentos versus scripsi [1] ». Simul clariorem sui ingenii conscientiam et firmiorem fiduciam sumebat. « Magnam spem prosperi exitus habeo, quia nunc meo judicio magis scienter utor [2] ». Rursus ambitionem fovebat.

Deficientibus parvula in urbe libris, ad Vintoniam, ut bibliotheca uti posset, ab insula Vecti, idibus Augustis migravit. Inter collium declivitatem et fluvii marginem locata, numerosis consita arboribus, antiqua et tranquilla urbs est; celebri templo gloriatur; et, silentibus longe lateque viis, quamdam ex silentio gravitatem et sollemnitatem sumit. Urbem viridis atque ridens circumdat regio, quam Ilsenus irrigat fluvius, multis equorum boumque armentis sparsa. Nam undique « prata florida et gemmata, trifolium aliasque herbas teneras semper et molles et quasi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur.[3] »

Keatsio nec in urbe, nec extra urbem, deerat quies; aderant intra muros veterum monumentorum contemplatio et defunctorun virorum recordatio multa, vel, si dies suaderet, longæ per prata ambulationes et meditationes.

sub umbra
Arboris ad rivos prætereuntis aquæ [4]

Quid studio laborique commodius optari posset? Adde quod autumnus erat, anni temporum mitissimum, qui omnia lenit et in illa quiete detinet ubi, priusquam cadant, paululum morantur matura. Ipsius solis fervor fulgorque levibus quasi velis temperatur. Erat hoc anno serenissimus autumnus. « Amoena caeli tempestate quæ duos jam menses durat nihil mihi gratius esse potest. [5] » Quæ pax et serenitas fervidum illius animum intrare videbantur, illique spem et felicitatem restituere. Ibi multum laboravit, multa scripsit, incepta in insula Vecti poemata perfecit, non nulla minora composuit, inter quæ splendescit molle ad Autumnum carmen. Extremi illius vitæ felices dies fuerunt. Non procul aberant tempora nubila.

---

1 Keatsius. *Epist.* CIV.
2 Keatsius. *Epist.* CII.
3 Plinius. *Epist.* V. VI.
4 Tibullus. I, 1.
5 Keatsius. *Epist.* CVII.

CAPUT IV.

> Cum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ
> Et lectum flentes circumstaremus amici.
>
> PROPERTIUS. *Lib.* II. VII.

Vergente ad hiemem autumno, cum novembris

pluvio contristat frigore caelum[1],

in urbem regressus est. Ibi rursus eum manebant tristitiae curæque multimodæ. Paulisper absentiâ temperatus amor, ibi rursus ardenti in corde inflammatus est et in imis ossibus exarsit. Priscis iterum jactationibus et angoribus turbatus et cruciatus est. Quæ in ruris tranquillitate sopita non suppressa fuerant, ea urbis excitata tumultu recruduerunt. Quam dissimilia, haud multo post reditum, scribebat ab illis quæ rusticis in epistulis expresserat, quanta asperitate infecta, quanta acerbitate : « Britannos odi propter eam causam quod ceteros homines non novi... [2] Universum humanum genus detestor, nempe negari nullo modo potest nos semper attonitos esse quando factum narratur egregium ; quum vero improbum, nunquam [3] ». Tanto omnium rerum fastidio inficiebatur, ut importunam et gravem existimaret amicorum societatem.

Mox hujus tristitiæ et morositatis adeo ab ejus natura dissimilis latens et penitus recondita causa apparuit. Nubes, cujus impendente et crescenti caligine jamdiu ejus vita obscurabatur, subito in minas erupit quibus jamdiu feta erat.

Tertio die ante nonas februarias, anno millesimo octingentesimo vicesimo, media jam prope nocte, tam singulari perturbatione agitatus domum rediit ut, quibus non bene notus esset, male sobrius et tremula ebrietate occupatus videri potuisset. Interroganti amico quid rei esset, se frigore correptum fuisse et leviter febricitare respondit, et jam se nihil sentire. Facile adductus est ut recubaret et, cum in lectum se reciperet caputque pulvino esset reclinaturus, levi tussi quassatus est. « Ex meo ore

---

[1] Vergilius. *Georg.* III, 280.
[2] Keatsius. *Epist.* CXXIII.
[3] Keatsius. *Epist.* *Ibid.*

hic sanguis est, ait, affer lumen, sanguinem hunc videamus ». Intente rubram maculam paulisper contemplatus, vultu repente composito, amicum suspiciens dixit: « Colorem hujus sanguinis agnosco ; arteriæ sanguis est ; hoc colore decipi non possum ; hæc gutta mihi est capitale judicium ; moriturus sum ».

Ex ea die, illi incepit mâesta aegrotantium vita, alternis spei et tristitiæ vicibus distracta ; inceperunt longæ dies, longioresque noctes, vel febri trepidæ, vel languore oppressæ ; raræ et in dies rariores horæ quæ brevi fiducia visitantur, dum in dies multiplicantur horæ quæ insanabili cura et clariore subrepentis leti sensu inficiuntur.

Illa in brumali regione ubi venti et frigora atque humidus nebulosusque aer, perpetuas, ut ita dicam, debilioribus hominibus insidias parant, ubi hiems tam multos juvenes, tam multas puellas frigida manu corripiens adimit, unicum remedium, unica defensio, domi se continere. Illic permanendum, donec tepidiores auræ et sol vernus minus periculosum caelum reddant, et impatientem languentium multitudinem hibernis quasi e carceribus emittant. Tali captivitate coercitus fuit. Epistulæ, quas sorori per illos menses scripsit, quæ fuerit tunc ejus vita enarrant, quam fortiter fiduciam in corde suo alere et sustinere conatus sit, quomodo simul cum viribus ea paulatim decreverit et cuidam patientiæ locum tandem reliquerit, cui, etsi haud moestitia carebat, nec tamen fortitudo deerat neque superbia.

Primo valetudinis tempore, eum videmus parvula et — ni forte verbum aliquid crudele et injustum ferret — puerilia quaerentem gaudia, quibus aegri graves et vacuas dies terere conantur, sic ut longa minutis occupationibus taedia fallere, et anxietatem exilibus et inanibus oblectamentis consolari tentent. Nam cum praecipuæ franguntur vivendi causæ, minora nobis, ut Plinius ait, vitæ retinacula [1] nectimus quibus diutius detineamur ; et ex amaris floribus mel quoddam sibi fingunt homines, propter quod ex manibus non dimittant pocula vitæ. Miseras illas Keatsius tunc cognovit oblectationes. Longas horas ad fenestram assedit, oculis in deserta via vel vix aliquando praetereuntis passu turbata defixis, semper eumdem prospectum contemplans. « Nullum tibi nuntium habeo. Interruptæ domus quæ contra domum nostram aedificantur, eodem statu stant et, antequam exstruantur, senio jam videntur ruere. Horti gramen squalidum est, periit heleosolinum, nihil superest quod visum recreet, nisi raræ humilesque caules » [2]. Lecto de superiore cenaculo in inferius conclave translato, gaudet quod facilius quid in via agatur prospicere possit. « Quidquid præterit video » exclamat, et

---

[1] Plinius. *Epist.* I. XII.
[2] Keatsius. *Epist.* CXXIV.

omnia quæ illius loci solitudinem variant diligenti sollicitudine observat atque enotat: puerum vas in manu ferentem, anus rubro pallio vestitas, fabros, mendicos et errones, ipsosque canes [1]. Talibus spectaculis dies terit poeta qui e ruris gremio tam splendida et florida carminum serta referre solebat.

O ubi campi
Spercheosque et virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat et ingenti ramorum protegat umbra [2].

Si quando, in frigido nigrantique caelo, aliqua dies paulo laetior lucesceret, si Februarius vel Martius sol pallentes adhuc sed paullo tepidiores et primos, ideoque gratiores, radios concederet, magna aegro juveni laetitia quod brevem et intra dimidium horæ comprehensam ambulationem in horto conficere poterat. Tales exspectabat dies: « It in melius sed tarde mea valetudo; longum fore tempus credo antequam sex millia passuum spatiari queam. Hodie sol quamdam ad nitendum propensionem habere videtur; si nobis faverit, antemeridiem in horto paulisper ambulabo.[3] »

Primo renascentis veris fremitu, cum flores nondum dehiscunt sed jam turgent gemmæ, et alia rubent, alia virescunt virgulta, cum nondum redierunt peregrinæ aves, sed jam quæ hiemem nostro sub caelo toleraverunt laetas voces effundere coeperunt, garrientem merulam exaudiens delectatur « Nonne audis merulam super campis canentem? Serenam, ni fallor, tempestatem pollicetur; mihi bene est. Cara est mihi avis hæc merula; opto ut hujus anni conjugem felicibus auspiciis sortita sit.[4] »

Sed paullatim pandebantur « florentia tempora veris », prata campique novis coloribus pingebantur, saepes arbustaque aviaria fiebant, in quibus omnis volucrum chorus veris laudes cantabant. Et per tepidas silentesque noctes, maerentem simul ac dulcem fundebat Philomela vocem qua nihil suavius una et tristius audiri potest, adeo ut continuo poetae versus audiri videatur:

medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat [5].

Forsitan causa est quod avis illa, dum tam suaviter maestitiam, dum tam maeste amorem cantat, enarrat multos, cum omnia ubique florent, ante noctem languescere flores et, quo tempore novi amores junguntur,

---

[1] Keatsius. CXXV.
[2] Vergilius. *Georg.* II, 435.
[3] Keatsius. *Epist.* CXXVII.
[4] Keatsius. *Epist Ad Amicam*, XX.
[5] Lucretius. IV, 1121.

non nullos immature perituros juvenes. Praeter omnes silvarum montiumque volucres eam Keatsius amabat; eam carmine inter sua pulcerrimo et inter omnia quæ a poetis Philomelæ consecrata sunt eximio, celebraverat, quia profecto mens ejus jam tristitie angebatur et dulce aliquid morti inesse existimare coeperat. Sic enim Philomelam alloquebatur :

Tristior in dies dum te exaudio, persaepe
lenis leti amore prope captus sum ;
letum, saepe meis in versibus, blandis rogavi cum verbis,
ut meam tranquille in aera auferret animam.
Nunc praesertim, dulce mori mihi videretur,
dulce, media sub nocte, nullo dolore exstingui,
dum tu tuam animam largius effunderes
cantu fremens palpitansque.
dum cantare pergeres, nihil jam longius audirem !
O utinam, te meam requiem cantante, terra fiam ! [1]

Quanto majore et altiore dulcedine tristitiaque dulcem tristemque Philomelæ cantum audivisset ; sed non ei, hoc anno, sub arboris tegmine, jam moriente die, caram volucrem audire concessum fuit. Sola veris vox merula fuit quæ in hortis, propius hominum domos circumvolitat.

Interea ejus valetudo ingravescebat ; non tussis, non febris subsidebat ; exhauriebantur vires ; major in dies debilitas ; macies increscebat ; cuncta inexorabilis morbi signa apparebant perspicua magis gravioraque. Non extemplo ad propinqui et ineluctabilis leti suspicionem pervenit. Spei et melioris exspectationis intervalla admittebat « Nulla mihi inesse gravis morbi signa medicus asserit et me refecturam esse pollicetur mitiorem tempestatem mentisque tranquillitatem » [2]. Quousque his confideret verbis haud dicere facile est, quippe epistulæ ubi passim spes elucent breves ad sororem scriptæ sunt, quam quidem solari, quam suas tristiores celare cogitationes, fraterna sollicitudine, cupiebat. « Spero me mox satis validum fore ut tuos flores visurus eam.[3] » Sororis flores nunquam visurus erat ; imo incertum est an sororem ipsam semel reviserit.

Eodem permanere in statu valetudinem suam plerumque arbitrabatur et nonnunquam hanc moram inertiamque aegre ferebat, morbo liberari et vitam rursus invadere gestiens. « Quo propius ad metam accedit cursor, eo majore angore trepidat ; sic mihi circa salutis fines tardanti irritatur impatientia » [4]. Interdum tristities sensim huic exspectationi subrepens perspicitur « Quod ad meam valetudinem attinet, deludere te nolo.

---

[1] Keatsius. *To a Nightingale.*
[2] Keatsius. *Epist.* CXX, IX.
[3] Keatsius. *Epist.* CXXXIII.
[4] Keatsius. *Epist Ad Amicam*, XXIX.

Ita se res habet: hosce viginti jam dies domi detineor, nondum valeo, ex quo constat aliquid in me vitiosum esse; quo vitio vel vincatur meum corpus vel meo corpore vincatur vitium necesse est; ne male speremus. [1] » Incipiente morbo hæc scribebat antequam illa, de qua loquebatur, spes longa exspectatione extenuata esset et lapsis ad irritum votis. Ex quo apparet eas quibus ejus vita clarescebat luces nihil aliud fuisse quam paulo candidiores vel minus nigras nubes quæ caelum spissum et undique nigrans subterlabuntur.

Continuo extenuabantur vires et adeo sensim debilitate et totius corporis defectione conficiebatur, ut ne ad pauca quidem verba scribenda par esset « me scribere vetat medicus; amicum rogabo ut tibi de me nuntiet, si non mox valebo » [2]. Hoc sorori suæ, die tertio decimo ante Kalendas Apriles, mittebat; quam cito eum infirmitas corripuerit intelligi potest, cum ne duobus quidem mensibus postquam aegrotare coeperat, jam sorori scribere nequiret.

Inter ingentem illam debilitationem, ingens ei venerat quietis cupido et immensum quoddam pacis et tranquillitatis desiderium. Nihil nisi languentem nec procul a somno remotam quietem appetebat. Vitam omnesque vitæ agitationes molestas et invisas habebat. Adeo animus ejus acerbis anxietatibus turbatus et curarum morsu excruciatus fuerat, adeoque animi perturbationibus commovebatur corpus, ut verisimile sit, quod aiebat, occultas sollicitudines praesentis valetudinis causam fuisse. Quam ob rem cunctos motus odisse videbatur, nec finem faciebat sororem admonendi et orandi ne suam mentem curis sollicitari sineret. « Patienter exspectare scito, valetudini tuæ consule, utique provide ut te a tristitia tuearis. quæ maxime valetudini inimica est [3]... Ne sinas tuam mentem in maestis cogitationibus immorari; hoc me perdidit [4]... Cave ne mentem maeroribus alas; hæc est corporis ruina; ante omnia, tua valetudo tibi curæ sit » [5] Crescenti sanitatis desiderio tenebatur, qua deficiente, absunt labor et vitæ gaudia. « Nihil tam grave est quam perdita valetudo; ob valetudinem fossoribus et carbonariis inviderernus » [6]. Nonne hæc juvenis verba, morte jam vicina jacentis, simile aliquid sonant Achilleis Lamentationibus :

Βουλοίμην κ'ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ,
ἀνδρὶ παρ'ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν [7].

---

[1] Keatsius. *Epist Ad Amicam*, XX.
[2] Keatsius. *Epist.* CXXXIII.
[3] Keatsius. *Epist.* CXXXVI.
[4] Keatsius. *Epist.* CXXXVIII.
[5] Keatsius. *Epist.* *Ibid.*
[6] Keatsius. *Epist.* CLI.
[7] Homerus. *Odyss.* XI, 489.

At illa sub quiete, illo sub languore, quibus involvi omnia et obscurari videbantur, abditus flagrabat adhuc ignis, qui non exstingui poterat,

Flamma per incensas citius sedetur aristas.[1]

Quæ prudentissima dabat sorori consilia, vana ipsi et irrita erant; terribili ejus animi tumultu non rumpebantur sed divellebantur; non folia magis autumnalibus ventis ludibria sunt. In universo tranquillitatis desiderio, animi partem compescere nequibat, eam scilicet partem quæ amore tenebatur. Non ignari sumus ea fuisse Keatsium natura ut utique vehementer irrueret. Sed aliæ erant causæ cur tunc ille amor exarderet. Matrem vix noverat, sororem vix per intervalla videbat, nulla feminea praesentia ejus vita lenita fuerat. Nunc in solitudine et valetudine, cum nobis praecipue muliebris societas necessaria et benefica est, tanto magis amatam imaginem fovebat,

Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes[2]

Tota ejus vita circa amicæ cogitationem versabatur. Illam fore ut uxorem duceret speraverat; jam beatam ac diligentem neque ingloriam vitam in connubio sibi fingebat. Conjugalis enim fidei honestatem et nobilitatem assequebatur, uxorem laborum sociam, ambitionis participem, adversarum dierum solatium, secundarum decus, totius vitæ dulcedinem et ornamentum sibi ante oculos proposuerat. Ea non procul absente, se poetarum studio tradere et versus scribere, ea adstante, studiorum et laboris fructus promere, in votis erat. Per longum et ad canitiem deducens iter, cum conjuge vitam degeret quam versibus expressit poeta, quibus nec magis teneri nec dulciores duo unquam de conjugali felicitate scripti fuerunt.

tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
inque tuo caderet nostra senecta sinu.[3]

Et nunc, cum talia excogitavisset et ad ea jamjam manum porrigeret, in morbum dejiciebatur. Neque id morbi genus erat quod hominem cito vel conficit vel demittit et, intra paucos dies, ad letum aufert vel vitæ restituit; is erat morbus qui languentem, per incertum iter, ad tardam mortem aut tardam salutem trahit. Exhaustæ vires non nisi post longum tempus et longam quietem rediturae erant. Valetudo otium, otium inopiam adducturum erat. Quomodo conjugem, vel humili et paupere sub tecto, sustentaret? Valeatis spes! jam sperati valeatis Penates!

Intellexit Keatsius sui esse officii amicam a promissa fide liberare et

---

1 Prop. III, 17.
2 Propertius. I, 11.
3 Tibullus. III, 3.

vinculum dissolvere quod nunquam omnino necti posset. Amicæ scripsit: « Nostrum statum nosti. Quæ spes nobis est etiamsi mox sanitatem recuperaturus sim? Nullum mihi laborem valetudo mea concedet. Mihi praescribitur nullam poesim legere, nedum scribere. Non queo dicere: « me obliviscere »; dicere tamen velim quædam, hoc in mundo, esse insuperabilia. Sed hac de re satis est. »[1] Quanto angore mentis talia scripserit nemo est quin intellegat. Se eum exspectaturam et fidem servaturam amica respondit. Quod paulisper ei solatio fuit; « morbi longa semita est, sed te ad finem prospicio et quam citissime gradum celerabo. »[2] Nihilominus surgebant adhuc objices.

Nec sollicitudine ex amore orta totus illius angor continebatur. Ex ipso amore aliquid amari surgebat. Haud equidem dico illud amantium desiderium, amicam semper spectare et audire cupientium; quod quidem si fallatur, intolerabilem calamitatem existimant:

> Illa meis tantum non unquam desit ocellis[3].

Hoc certe dolebat Keatsius, non solum quia amicam raro videre poterat, sed quia, si quando eam videbat, tanta agitatione turbabatur ut exacerbaretur valetudo. Adde quod, cum ventura esset, praematura et impatienti exspectatione anxium et tremulum cor pulsabatur.

> Dum mihi venturam fingo, quodcunque movetur
> Illius credo tunc sonuisse pedem...[4].

Ita ut, invitus, ipse eam ne veniret hortaretur et, summis amantium deliciis abstinere coactus, magnum sibi ipse dolorem imponeret.

Sed alia et ex altiore etiam animi parte surgebant. Inquietum et perfacile curis vexatum amorem inquieta mens eduxerat. Hanc insitam anxietatem augebat quod morbo fractus, debiliore voluntate et minore sui imperio utebatur, quemadmodum minus firmum gubernaculum habet quassata tempestate navis. Accedebat quod domi reclusus nec facultatem librum legendi habens, nectendis anxietatibus inertes horas consumeret et otiosum animum occuparet. Quid agebat amica? Quo ibat? Ubi erat? Quem videbat? Inde anxietates, dubitationes, suspiciones et, si ea paullo diutius cum alio locuta esset, iræ et vituperationes. Cunctis vanisque amantium angoribus torquebatur,

> Quod in ambiguo verbum jaculata reliquit
> Quod cupido adfixum cordi vivescit ut ignis,
> Aut nimium jactare oculos aliumve tueri,
> Quod putat, in voltuque videt vestigia risus[5].

---

1 Keatsius. *Epist Ad Amicam*, XIV.
2 Keatsius. *Epist Ad Amicam*, XXXII.
3 Propertius. II, 20.
4 Tibullus. I, 8.
5 Lucretius. IV, 1138.

Cujus rei vestigia, in litteris quas ad eam scribebat, haud reperire difficile est « Existimo te melius acturam si apud me, cum domi Brownius adsit, non diu remanseris » [1] Clariore querela eadem paullo post dicebat : « Non anteacta oblivisci queo. Quid id est? Quod fortasse cuilibet alii nihil esset, illud mihi mortale est. Cum ludere et amorem jocari cum Brownio soleres, a tali re abstinuisses si dimidiam partem angoris sentire cor tuum potuisset, quo meum afficiebatur. Vulnus ab unaquaque illarum horarum inflictum, adhuc meo sub pectore sentio. » [2] Quanto cruciatu vexatus fuerit, ex his diris et crudelibus verbis perspicere est « Haud equidem contendo me altius quam ceteros sentire ; sed cupio te meas, vel laetiores, vel severiores epistulas graviter legere, et considerare an qui eas scripserit longius ferre queat aerumnas et anxietates, quas tu ad creandas nata es... [3] Forsan mutata es ; at si nihil est in te mutatum, si te in saltationibus, ut te quondam vidi, adhuc geris, vivere non longius cupio. Si ita adhuc se res habet, suprema mihi sit proxima nox. Non vivere sine te possum, sed casta et honesta. Sol exoritur et cadit, cedunt dies, tu naturæ tuæ proclivitatem sequeris, nec mente concipere potes quot, uno die, per me maerores transeant » [4]. Acerba dicta neque a tristissimis poetæ querelis remota :

O ego ne possim tales sentire dolores
  Quam mallem in gelidis montibus esse lapis.
Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
  Omnia jam tristi tempora felle madent [5].

Quæ postquam dixerat, poenitebat dixisse; verba retractabat, severitatem mitigabat, quæ vere sensisset explanabat, afferebat excusationes, non suam sed amoris culpam fuisse, more amantium :

Ignosces igitur si quid tibi triste libelli
  Attulerunt nostri, culpa timoris erat. [6]

Decimo die ante Kalendas Julias, cum brevem antemeridianam ambulationem, nam longæ nondum par erat, incepturus esset, iterum sanguinem exspuit. Per intervalla si spes adfuerat se in melius tendere ad eamque diem progredi quæ vitæ januas rursus aperiret, morbum non domitum esse intellegere inde potuit, sed in imo pectore, ut assiduum hostem, pervigilare. Grave illud indicium.

Necesse esse ut Italiam adiret et, Britanniæ hiemis asperitatem fugiens,

---

1 Keatsius. *Epist. ad Amicam*, XXII.
2 Keatsius. *Epist. ad Amicam*, XXXVII.
3 Keatsius. *Epist. ad Amicam*, XXXVI.
4 Keatsius. *Epist. ad Amicam*, XXXVII.
5 Tibullus. II, 4.
6 Propertius. I, 12.

tepidissima hiberna et « nullam diem sine interventu solis » [1] quaereret, medicus significavit. Hanc unam salutis esse spem et viam. Ipse nullam remedio fiduciam habuisse et, ex ea die, extremas spei reliquias videtur amisisse. Fortiter, ut solebat, et stoice se gessit; sine ulla lamentatione, sine ulla fortitudinis ostentatione, de se ipso vicinoque exitu loquebatur « Vereor ne exiturus sim eo ipso tempore cum mea mens propriis viribus incedere posset... [2] Hisce paucis diebus, vires sumpsi; utinam spem citæ sanitatis una sumpsisse me dicere possim! Adeo vexatum fuit, proximos hosce duos tresve annos, meum corpus, ut vix morbi impetum sustinere queat nunc, qui nativa mei animi strenuitate et impatientia gravior fit. » [3] Nec multo post, tristioribus etiam verbis, alii amico scribebat eadem : « Haud dubito quin una in Britannia hiems me conficiat; quare Italiam vel terra, vel mari, adire constitui; haud magnam equidem hac de re spem capio, nam nescio quid morbidum penitus in me subesse credo quod non facile exstirpabitur. » [4]

Novo ictu quassatæ vires continuo decrescebant. Legere, scribere, loqui magnus ei labor erat. Suffocabatur si quis non familiaris intraret cenaculum, querebatur quod pectus continua contractione angeretur et stringeretur. Paulatim projecisse a se omnia, et in durum ac mutum vitæ contemptum videtur refugisse. Appropinquantem finem constanter exspectavit, propinquam contumaciter spectavit. Praesens mors nihil vitæ desiderio adjicere, sed vitæ cupidinem minuere videbatur. Neque id melius exprimi potest quam verbis amici qui eum circiter Augustas Idus invisit et illius erga mortem superbia et erga vitam fastidio permotus fuit « Extremum eum vidi in candido lecto cubantem, cum libro, febricitantem, resupinatum, ob debilitatem suam iratum et de aliis querentem. Mihi e vita egredi visus est cum istius mundi contemptu et sine spe alterius. Mussitabat se mortem sibi consciturum nisi mox valeret. » [5]

Adeo cuncta a se projecerat, adeo se vita exuerat, ut ne gloriæ quidem cupidinem retinuerit. Quanquam in hominibus hoc supremum vivit studium, et poetis praesertim maxime cara et necessaria gloria est, ut, si e terris hic amor excederet, extrema per poetas vestigia faceret, tamen ille abs se gloriæ cogitationem respuit. Inter res quæ diu in eo perseveraverant ea fuerat. Nam cum aegrotare cœpisset, desiderio tenebatur quod nullum perfecisset opus quo nomen commemoraretur. « Si moriturus sum, post me nullum immortale opus relinquam, nihil propter quod amici mea memoria glorientur, sed omnibus in rebus quod pulcrum est amavi,

---

[1] Seneca. *Consolatio ad Marciam*, XVII. 4.
[2] Keatsius. *Epist.* CXLIV.
[3] Keatsius. *Epist.* CXLV.
[4] Keatsius. *Epist.* CXLVII.
[5] *Haydonis Epistula.*

et si mihi tempus concessum fuisset, inclitum me fecissem ». [1] Nec multo post amicæ suæ scribebat. « Si mihi altera annorum series aperiatur, non moriar immemorabilis » [2] Sed cum, altero necnon graviore ictu vulneratus, vitam avulsam vidit, nobilissimum vitæ ornamentum et decus simul repudiavit. « Mihi gratum est quod voluptatem ex meo misello poemate capis; libenter, si fieri posset, ad illud delendum operam sumerem, si famam tanti quanti solebam adhuc facerem. » [3] Ita gloriam ipsam aversabatur, cum dulcissima est, cum dulcior nascentis auroræ luce esse dicitur. Ille aureis radiis tactus poeta, in tenebras, non invitus, descendebat, nullo ad gloriam respectu. In profundam oblivionis altitudinem immergi se sentiebat, lumen linquebat, nautæ similis qui e fugiente nave delapsus, muta desperatione correptus, sese in profundum demittit, ne ad astra quidem suspiciens.

Haud est quin, imo in corde, interruptum a primo conatu laborem desideraverit, et messem vix inceptam luxerit, cum primi fructuum calathi referrentur. Haud est quin ei occurrerit quam crudele sit nascentia aboleri et illud quoque percontatus sit cui responsum nondum datum fuit :

Quare mors immatura vagatur ? [4]

Sed quæcunque in animo volutaverit, quæcunque contra fati crudelitatem judicaverit, tacebat. « Nil ad me pertinet » de omni re dicere videbatur. Eo ipso tempore tertius liber, qui Hyperiona, Lamiam et alia pulcerrima poemata continebat, publicabatur, in quem spem suam posuerat. Hoc illius gloriæ firmissimum fundamentum nunc est, et famæ initium tunc fuisse videtur. Sed non incipiente quidem hominum admiratione delectari visus est.

Ex tot cineribus quibus cor illud plenum erat, in quo ipsa desideria moriebantur, una flamma micabat. Ceteris exstinctis, exardebat amor, et, ex totius animi ruina, magis ac magis flagrare videbatur. Saeviore flamma reliquias vitæ amor corripiens, extremos illos dies lugubri quasi fulgore illustrabat. Crudelis quidem amor est et, ex quo addictum est ei genus hominum, innumerabilia pectora torquet; sed inter tot gemitus, querelas, lamenta, suspiria, planctus, quæ propter eum ex pectoribus hominum effusa sunt, dubium est an aliquid maestius tristiusque unquam fuerit. Non flebiliorem vocem lamentabilis chorus amantium habet, non acerbiorem clamorem. Nec mirum ; namque si ex amoris vi amissi amoris dolorem metiri est, immanem luctum Keatsius concepit, ut amorem

---

[1] Keatsius. *Epist. ad Amicam* XVIII.
[2] Keatsius. *Epist. ad Amicam* XXIX.
[3] Keatsius. *Epist. ad Amicam* CXLVII.
[4] Lucretius. V. 221.

adaequare posset. Quis crudelior enim angor fingi potest quam hominis qui amorem, non in altera, sed in se ipso deficiente vita, deficere sentit. Suum in se sua morte mori amorem clarissime percipiebat et hac defectione magis excruciabatur quam ipsius vitæ defectu :

Hic timor est ipsis durior exsequiis [1].

Huc accedebat quod futuram non esse vitam credebat, et se funditus interiturum atque in nihilum abiturum putabat. Sic illa dubia et, ut ita dicam, pallenti spe destituebatur, qua ultra hanc vitam amorem proferre amantes conantur, et illis longinquis solatiis quibus desideria sua consolantur. Totus moriens totam morituram amissurus est. « O utinam immortalitatem esse crederem ! Nunquam vale, æternum vale tibi dicere potero. Quam curta, si me fata felicem tecum fore decreverunt, vita videbitur longissima ! O utinam immortalitatem esse crederem ! utinam tecum viverem in æternum ! » [2]

Paene amentia verba effundebat, in quibus angor, desperatio, ira, suspiciones, vituperationes, saevo animi tumultu, collidebantur. « Utinam tu invenire posses quomodo ego sine te vivere possem ! In horam magis in te teneor ! Tanquam palea in ore mihi cetera sapiunt. Adeundæ Italiæ dolorem supra meas vires esse sentio. Te linquere non possum ! Nullum quietis tempus experiar, donec me tecum vivere fata sinant. Aliquis sana, ut tu es, in valetudine, quos angores homo meæ naturæ et nervis dolens capiat, non fingere potest. » [2]. Adeo amittendæ amicæ terrore torquebatur ut illius praesentiam vix sustineret. « Si tecum vivere non possum, vivam solus. Quamdiu a te sejungar non meam valetudinem multo meliorem fore credo. Quare ne te videam resisto. Non claram lucem sustinere possum in meam caliginem rediturus. » [4]

Dolorem Orpheos dixerunt poetæ cum Eurydicen, jam luce sub ipsa, paene salvam pallescere vidit, cum frustra prehendere certans fugientem umbram non potuit retinere, sed e vano amplexu ceu fumum elabi sensit. Inversum nec minus durum Keatsius patiebatur angorem. En amicam ipse perdebat, non quod ea, sed ipse subducebatur ; non fugiebat ea ex illius amplexu, sed ipsius amplexus ceu fumus dissipabatur. Non eam in leto sed, quod crudelius videbatur, in vita deserebat ; sese evanescere et jamjam nocte circumdari sentiens. Cum jam natantia lumina fierent atque suum « vale, vale » deficiente voce, in faucibus extenuaretur, en Eurydicen suam, clara in luce lætam, futuris servatam amoribus, vitæ blanditiis consolandam, linquebat, ipse delabens in tenebras.

---

1 Propertius. 1, 19.
2 Keatsius. *Epist. ad Amicam* XXXVIII.
3 Keatsius. *Epist. ad Amicam* XXXIX.
4 Keatsius. *Epist. ad Amicam* XXXIX.

Adeo ab exilio suo abhorrebat et intolerabili aeterni ab amica discidii terrore cruciabatur, ut, ad furorem et prope ad dementiam exasperatus, consuetam taciturnitatem rumpens, vitam exsecraretur. In extremo vehementiæ desperationisque tumultu se volutans, vesana et promiscue amorem odiumque anhelantia verba, delirantium more, profundebat. Molestum et odiosum caeli spiritum habebat. A fato unius horæ usuram postulare dedignatus, ipse ad finem festinare cupiebat, ut qui, capite damnatus, carnificem ad supplicium citiore gressu prægrediatur. « Omnia amittere cupio, mori cupio. Nausea me tenet istius vilis mundi cui arrides. Viros odi, mulieres etiam magis. In futuro nihil nisi aculeos prospicio. Nullum quietis prospectum video. Finge me esse Romæ ; quasi in magico speculo te illinc cernerem, ab urbe, ad urbem, omnibus horis, ultro citroque ambulantem. O utinam aliquantulum humanæ naturæ fidei in meum pectus infundere posses ! Nullam colligere possum. Mihi hic mundus asperior est. Sepulcrum esse gaudeo, donec in eo jaceam nunquam quiescam. Mihi in votis est vel me tuis in amplexibus fidentem esse, vel feriri fulmine » [1]. Talia furebat.

Interea aestivam frondem modo silvæ expanderant, tantumque aberat ut autumnus, caelum contristans, foliorum ruinam radiorumque exitum significaret, ut nondum annus collibus in apricis punica poma maturaret et vix messem plaustra domum referrent. Tempus erat segetis ; undique, per laeta rura, messores spicea serta ferentes horrea plena cantabant ; festæ dies ritusque antiqui aderant. Finem mercedemque laboris assecuta, rustica proles iisdem ludis laetabatur quibus olim solebat.

Tunc operata deo pubes discumbet in herba
   Arboris antiquæ, qua levis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula sertis ;
   Vincta coronatus stabit et ante calix ;
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
   Caespitibus mensas caespitibusque torum [2].

In illa universa ruris laetitia, dum natu grandiores cum conjugibus et liberis festos dies celebrabant, et juniores inchoatos messis tempore jungebant amores, maesta in solitudine, tristitie confectus, amori diffidens poeta moriebatur qui suavissime ruris divitias et gaudia cantaverat.

---

[1] Keatsius. *Epist. ad Amicam*, XXXIX.
[2] Propertius. II. 5.

CAPUT V.

I.

Sic igitur prima moriere aetate, Properti.
PROPERTIUS. II, 7.

Cum ad autumnum vergere incepit annus nec procul abessent frigidiores dies, itineri consulendum fuit. Jam profectio paranda erat, jam amicis, jam sorori vale, jamjam vale carissimæ uni dicendum erat.

Tanta debilitate exhaustus, non longam viam solus inire nec per se perficere poterat. Necesse erat ut socio comitante abiret qui infirmum sustineret, aegro subveniret et, quocunque modo se res haberet, tristem utique et abscessu maerentem tentaret consolari et lenire. Fieri non poterat ut amicorum praesentia auxiliumque deesset; nam nulla re magis illius ingenii jucunditas et naturæ amoenitas demonstratur quam amicorum benevolentia et constantia, qui viventis valetudinem fraterna sollicitudine circumdederunt, et defuncti recordationem caram pretiosamque servaverunt.

Ex illis juvenis pictor, cui nomen Severnus, ipse Italiam aditurus erat ut in sua arte, magnorum pictorum visu et studio, proficeret. Proposuit se amico comitem. Ex eo tempore, sese tam fidelem studiosumque praebuit, tam devotam caritatem retinuit, ut nihil amabilius admirabiliusque sit. Decrescentis vitæ relliquias fovit, ad finem adversus mortem ita defendit, ut erga fratrem frater non diligentiorem et vigilantiorem curam adhibere posset, non soror magis teneram pietatem et suaviora officia. Si unquam se humanum genus a cultu Deorum ad Virtutum cultum transferens, quæ nihil aliud sunt nisi divinum ex humano surgens, Amicitiæ templum statuerit, illius ibi nomen, cum nominibus eorum qui sese amicis devoverunt, scribatur. Non illius memoria a Keatsii sejungi potest. Ei, propter merita erga amicum, tranquillam longamque vitam tribuerunt Dii, velut si ablati ab amici vita anni ad illius vitam translati fuerint. Hanc Romæ, usque ad extremam senectutem, inter grandia omnium artium opera peregit. Non procul ab amico sepultus est, et illius sepulcrum attingit umbra laurorum, quibus cingitur Keatsii monumentum.

Navigare ad Italiam statuerunt, quia per mare tranquillius iter est, et maritimus aer, iis qui pectoris infirmitate laborant, salubrior esse existi-

mabatur. Circiter Idus Septembres, navem conscenderunt. Non sororem, non amicam priusquam discederet vidisse videtur. Tanta imbecillitate corporis afflictus erat et ad solam abeundi cogitationem tanto cruciatu quassatus, ut ad hanc supremam ferendam acerbitatem, nec vires corpus, nec firmitatem animus habuerit. Abeunte neque unquam redituro maesti valedixerunt amici, quorum profecto nonnulli dulcia sibi verba recitaverunt quæ ad navem scripsit Horatius qua Vergilius, eodem morbo aeger nec multo longius victurus avehebatur :

> Navis quæ tibi creditum
> Debes Vergilium, finibus Atticis
> Reddas incolumem, precor,
> Et serves animæ dimidium meæ [1].

Et nihil blandi veteris poetæ versus blandius amantiusque habent quam quæ, dulciter et lepide, nomine amicorum Leighius Huntius abeunti amico dixit :

« Ah ! care amice, qui non minore in honore haberis amicus quam poeta, Johannes Keatsi, non nostris in animis possumus invenire unde gaudium capiamus, propterea quod cum hirundinibus fugisti lenius caelum quaerens. Die qua profecturus eras, ruerunt nubes ; haud equidem ritu poetarum dicam : propter tuum discessum. Tibi majoris pretii quam totius orbis figurati fletus est una lacrima in boni viri oculo ; et multas tales lacrimas liquisti labentes nobis cogitantibus quam multi menses futuri sint antequam te iterum videamus. Lenientibus auris te dulce Italiæ caelum afflabit; redibis una cum Philomela, quam tu tantopere amas; omnesque tuos amicos tam laetos tua voce facies quam nunc maerentes linquis quod eam amittunt [2]. »

Amborum poetarum inania vota ! Non a decertantibus Aquilonibus, non a tristibus Hyadibus et rabie Noti Vergilio Keatsioque periculum erat, et inanibus precibus implorabantur Diva potens Cypri, fratresque Helenæ. Amicorum spem non accepisse Keatsius videtur, et ista vota, benevolentiæ signa, non fiduciæ causam existimavisse. Tacite supremum vale suæ patriæ omnibusque caris, quæ in patria relinquebat, dixit « Non me diu aegrum futurum esse arbitror » scribebat [3]. Cum alba decrescentia litora respexit, quanto animi defectu laboraverit, haud secus ac si omnia clara subita nocte removerentur et in caliginem abirent, ex una epistula perspicere est. Hasce de amissa amica loquens effundebat querelas :

« Etsi meum corpus propriis viribus e morbo se erigere posset, hæc res impedimento esset. Praecipua mei exitii ea causa erit, propter quam unice vivere cupio. Non possum prohibere quin res se ita habeat. Quis posset ? Me sanum hæc res morbo afficeret ; quomodo ferri ab aegro potest ? Nocte dieque exopto ut letum me a tantis

---

[1] Horatius. *Od* I. 3.

[2] Leighius Huntius.

[3] Keatsius. *Epist.* CLIII.

cruciatibus liberet; et deinde letum a me removeri cupio quoniam leto abolerentur hi ipsi cruciatus qui aliquid sunt melius quam nihil. Terræ marisque intervalla, debilitas, vita ad finem vergens nos sejungunt; sed divellit mors in aeternum. Hujus cogitationis amaritiam postquam mens mea transivit, mortis amaritiam transivisse dici potest. Amittendæ amicæ terror omnia crudelia superat, me circumdari caligine sentio. Amatæ formam perpetuo evanescentem perpetuo contemplor. Sententiæ quibus ea uti solebat in meis auribus semper sonant. Non est altera vita? Nonne expergiscens hæc cuncta somnium inveniam? Ita est; non est ut ad tantam miseriam nati simus. Subita meæ vitæ abruptio, in media cujuslibet harum epistularum, non mala res esset [1]. »

Quindecim dies adversis ventis sub Britannico littore retardata navis, in Cantabrico sinu, furenti procella correpta fuit, qua triginta horas vexata et quassata ad extremum periculum venit. Ventis fluctibusque compositis, cum Keatsius in Byronis libro tempestatis descriptionem legeret, iracundiam non dissimulavit quod, in re tam grandi terribilique, ille jocandi locum invenerit.

Mediterraneum mare tandem inierunt et in Neapolitano sinu jacta est ancora. Decem dies, ne navis ad litus appelleret interdictum fuit, ob duras de pestilentia leges, publicæ salubritatis causa. Decem dies, in statione remanserunt amici, unde sinum circumspicere poterant. Quale spectaculum et quam poeta dignum, si poetæ relicta fuisset exquisita admirandi facultas, et perfecta in coloribus, in luce, in splendore et pulcritudine rerum delectatio. Talis nunquam ei oblatus fuerat prospectus : vastum et molle montium amphitheatrum, curvum litus candidis urbibus et vicis praetextum, Vesuvii die fumus, nocte rubor. Quo in amphitheatro caeruleum et placidum splendet mare, non tam fluctibus quam lumine tremulum, niveis insulis sparsum, et undique claros solis radios repercutiens, ut mare caelumque inter se argenteis missilibus decertare videantur. Innumeris navium cymbarumque velis huc illuc pervolitantibus distinguitur mare, ut id Lucretium cogitasse crederes cum veliferis puppibus florere mare scripsit [2]. Nihil laetius, nihil clarius, nihil divinius non modo spectari, sed ne fingi quidem potest. Quanto gaudio, quanta exultatione, quibus acclamationibus, novam pulcritudinis speciem salutavisset! Non luce, non diversis et semper continua in suavitate variantibus caeli coloribus satiari potuisset. Sed ista omnia nunc longinqua remotaque et quasi indistincta videbantur, ut si ea ex vitreo sepulcro contemplaretur. « Satis multa sunt hoc in loco quibus volumen impleam, sed cuncta mihi veluti in somnio apparent; homines qui in cymba remigare, qui ambulare, loqui possunt, figuræ videntur esse a me dissimiles; non jam communis illius vitæ particeps esse mihi videor » [3].

---

1 Keatsius. *Epist.* CLIV.
2 Lucretius. V, 1438.
3 Keatsius. *Epist.* CLV.

Non multa graviore desperatione maestiora unquam humana manu scripta fuerunt.

Romam quam citissime amici petiverunt. Hic quoque quam multa videnda, perspicienda, admiranda! Quam dives, o poeta, poematum et cogitationum materies! hic ingentes Romani populi relliquiæ; hic Colisaeum; hic Forum, in quo Ciceronis sententiæ sonabant; tot monumentorum ruinæ ut ipsa pulvis gloriosa sit; hic statuæ simulacraque ex aere, e marmore innumerabilia, quæ clarorum temporum pulcritudinem et decus servant et testantur; hic opera recentioris artis ex antiqua arte exortæ. Nihil horum vidit Keatsius. Stabat tandem ad antiquæ vitæ limen; in limine procubuit.

Ad finem tranquillitatemque omnes tumultus rapide vergebant. Intra tres menses quiescent omnia in pectore doloribus desideriisque aestuante. Breve tempus felicibus, sed longum morienti poetæ spatium, in quo premuntur et stipantur extremi angores, haud secus ac si longæ vitæ et per gaudii tristitiæque vices productæ, exigua in vita aerumnæ tantum continerentur. Longum et amico anxietatis, curæ, studii et caritatis spatium, in quo inexhaustum amicitiæ suæ thesaurum patefecit, unde laudem quæ reliquæ vitæ ornamento fuit adeptus est. Amara per illa pergamus! Postquam Romam advenerunt, aliquot dies in melius tendere visus est Keatsius et aliquantulum spei amico dedit. Quarto die ante Idus decembres, cum forsan et ipse decipi coepisset, tertium, sanguinem rejecit. Tussis subitam cruoris copiam egessit, non quæ linteolum macularet sed duo pocula impleret. Temporum more, medicus ei sanguinem e brachio misit qui ater et crassus stillavit. Quo visu commotus Keatsius et quasi vehementi desperatione captus e lecto exsiluit, clamans: « Suprema sit hæc mihi dies »; ut si mortem sibi consciscere vellet. A qua vix ab amico cohibitus fuit. Iterum, postero, mane, eamdem sanguinis copiam ejecit; iterum medicus venam punxit. Cruentam exscreationem tussis quinquies extudit. Sive, ut fissum vas, effetum corpus non longius mentem et cogitationes cohibere posset, seu animus praeter humanas vires perturbatus voluntatem rumperet et diu in alto repressæ aerumnæ erumperent, subito, a summa lassitudine, ad amentiam projectus est. Illius mens, tempus spatiumque praetervolans et quasi a praesentium visu soluta, in praeteritorum recordationem effugit. Cuncta prioris vitæ, vivida in luce praetereuntia, intentis oculis sequebatur. Illa, modo ex ordine composita et solito continuoque vitæ processu cohaerentia, modo confusa, disjuncta, sine lege intermixta, quasi in aegrotantium somniis, at semper clara, sese singula offerebant. Veterum dierum memoria, in qua beata amaraque volvebantur, per animum quasi torrens ruebat; ut si tota vita flueret retrolapsa, vacuum et inanem cum relictura. Amicos, fratrem, sororem, amicam, praesentes videbat; ad eos manum tendebat; frustra

adire tentabat. Omnes tumultuosæ vitæ tumultus qui, per non nullorum annorum latitudinem dispersi, nihilominus firmam et sanam mentem labefecerant, nunc in unum coeuntes et intra paucos dies compressi, animum divellebant, ut fluctus, in aperto mari graves, saevius in angusto freto furere solent. Tanto jactatu perturbabatur ut amicus, cum frigida aqua calentem ejus frontem refrigeraret, terreretur ne illius mens per deliria vagans nunquam ad sanitatem regrederetur. In dementia quædam loquebatur, alia vero — ut amicus multis tantummodo post annis cognovit — eodem silentio claudebat, quo hactenus celaverat. In fidelem amicum, dum furebat, vituperationibus invehebatur, eum conviciis insectabatur, caecaque ira lacessebat. Quæ cum placidioribus intervallis cognosceret, erroris poenitentia vexabatur et novissimo cruciabatur dolore.

Hi supremi vitæ reluctantis nisus erant et adversus fatum suprema rebellio et indignatio. His perruptis, altam tranquillitatem inivit. Sicut nautae, quos nusquam immaniori vortice quam ad portus ostium fluctus corripuerunt, subito ex spumanti aestu et pelagi fragore in silentia tutaque aequora evadunt et navigationis periculorumque finem per procellam summaque discrimina adipiscuntur, sic ille ad quietem per summam desperationem perveniebat. Non modo omne ad vivendum conamen, omnem vivendi spem dimisit, sed vitæ cupidinem etiam et desiderium deposuit. Huic novæ paci, quasi somnio, indulsit; et cum quadam dulcedine sese morti, quam tormenta placaturam, vulnera sanaturam, dolores finituram sentiebat, infinita dormiendi cupidine captus, tradidit. Mortem amare incepit; gratam et beneficam existimare, exoptare. Relliquias vitæ impatienter ferre videbatur, eam quam citissime exuere cupiebat, et ad vacuum transire quod saltem non intrat Dolor. Nihil tunc ei molestius erat quam cum menti occurreret fieri posse ut rursus ad vitam reduceretur. Tantum ea illum terrebat cogitatio ut amici, si quando aliquantulum ad melius inclinantem viderent et parvulam spei favillam foverent, dissimulare gaudium cogerentur, ne ille, re cognita, afflictareteur. Medicum lecto adstantem intentis oculis scrutabatur, optatam sententiam quæ eum vita liberatura esset audire cupiens; cum vero nihil in medici vultu videret, maerens iterum jacebat, ut qui exspectatum bonum in diem protrahi aegre patitur. Medicum interrogare solebat: « quando hæc mea finiet postuma vita ? ». Sic narrantur viatores, postquam longæ viæ fatigationem, frigoris morsus, venti plagas, nivis flagella passi sunt et cruciatibus extenuantur, vi doloris e dolore egredi, et ad quamdam leti voluptatem pervenire, ex qua nolunt expergisci.

Sensim eo venit ut quidlibet de vita audire recusaret. Jamjam longinqui vitæ rumores, nunc molesti, tranquillam mentis vacuitatem incassum turbabant. Epistulas ab amica acceptas, quam tam vehementer amaverat, — nam dubium est utrum in tanta omnium rerum derelictione amare adhuc dici posset, — nec legere, ne aperire quidem voluit; quasi

jam ad mortuum venissent. Tantummodo amicum oravit ut, cum eum sepeliret, scriptas carissima manu litteras in arca secum, super suum cor depositas, conderet; perinde ac si amicam ultra letum adhuc audire cuperet, speraretque sepulto dicturam quæ vivo non satis dixerat.

Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis
ut meus oblito pulvis amore vacet [1].

Jacent cum eo nunquam resignatæ litteræ, quæ fortasse amantiora verba ferebant, et amicæ memoriam vindicarent ab illa reprehensione quod, tam perdite amata, pauperem, aegrotantem, morientem poetam non dulcioribus et blandioribus verbis consolata sit. Omnia, quæ in vita dilectissima nabuerat, aversabatur, homini similis qui mortis conscius faciem ad murum avertit, et dilectissimos vultus cernere, dilectissimas voces audire recusat. Jamjam in morte, ut ita dicam, vivebat; in ea sola cogitatione versabatur; ex ea exspectatione supremam capiebat voluptatem, exeundi impatiens

Nigrantesque domos animarum intrasse silentum [2].

Sese mortuum sepultumque fingebat. Amico aiebat sentire se in humo super se enasci bellides. Eum rogavit ut hæc inscribi in sepulcro curaret « Hic jacet cujus nomen scriptum in aqua fuit ».

Die ante calendas Martias, amicus scribebat « heri vesperi eum extremum spiritum trahere credidi; in faucibus phlegma exaudiebatur; me ut in lecto eum sublevarem rogavit, ne aegre animam redderet. Totam noctem pervigilavi. Hodie, primo diluculo, cum eum pallenti in luce spectavi, quantum mutatus esset vidi perterritus ». Postero die, prima sub luce, appropinquantem mortem Keatsius sensit et amico dixit « Severne, me subleva, jamjam morior; quiete moriar, nil timeas, fortis esto et Deo gratias age quod tandem finis adest ». Eum amicus in bracchiis sublevavit. In faucibus phlegma effervescere et exaestuare visum est ad sextam horam, deinde ille in mortem paulatim subsedit tam tranquille ut amico dormire videretur. E crudeli et turbata vita decesserat. Si vere dixit poeta amantes qui amore perierunt in Elysios abire campos, ea ipsa die, cum Propertio, cum Tibullo, multisque aliis per amoena loca erravit:

Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes,
Dulce sonant tenui gutture carmen aves;
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Illic est cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma [3].

---

[1] Propertius. I. 19.
[2] Propertius. III. 10.
[3] Tibullus. 1, 3.

Cum recenti morte quietus jaceret et placide tandem dormire videretur, ejus imaginem duxit amicus, per lacrimas eum spectans, et mitem poetæ faciem servavit. Eum sepelivit; placidum supra cor litteras deposuit. Ne hæ quidem cor rursus agitare potuerunt! Exsequias persolvit; eum prope solus ad sepulcrum duxit. Perpauci tamen aderant Britanni qui vix amicos noverant, sed, amborum commiseratione capti, nec defunctum procul a communi patria juvenem omnino sine funere efferri, nec maerentem amicum amici corpus nullo comitante sequi voluerunt. Clarissimum obscuræ poetam tulerunt exsequiæ. Si vero notum fuisset quantum amoris, quantum juventutis, quantum gloriæ et quantum spei una sepeliretur, omnes convenissent juvenes puellæque.

Illo non juvenum potuit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum [1].

Per urbem cujus in pulvere perditus miscetur Tibulli pulvis et Propertii. Keatsii modicum funus processit. Quod cum mihi ante oculos propono, non possum quin versus revolvam alterius poetæ immatura quoque morte praerepti.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
    Nec tuba sit fati vana querela mei,
Nec mihi tam fulcro sternetur lectus eburno,
    Nec sit in Attalico mors mea nixa toro;
Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
    Plebeii parvæ funeris exsequiæ
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
    Quos ego Persephonæ maxima dona feram [2].

Cum hoc defuncto quoque poeta tres libelli ferebantur, satis magna pompa, nec donum impar illi quod antiquus poeta Persephonæ tulerat.

Jacet in ea parte Romæ quæ Protestantium coemeterium appellatur, qua non remotior, tranquillior, nec pulcrior cetera tota in urbe est. Trans Aventinum montem locus est qua desertæ partes Agrum Romanum prospiciunt, cujus vastam solitudinem, lucidam tristitiem, funebremque majestatem participare videntur. Ubi collapsorum Honorii murorum ruinæ rudibus aggeribus coacervantur et quasi grandes aboliti amphitheatri gradus struuntur, juxta metam quæ Caii Cestii sepulcrum fuisse fertur, nigrarum cupressorum lucus est,

sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra [3].

---

1 Tibullus. 1, 2,
2 Propertius. II. 10.
3 Vergilius. *Georg.* III. 383.

Obscura fronde opacissimam arbores umbram claudunt, quam circumunditur nec penetrat lucidissima dies. Densæ ibi permanent tenebræ et flores nascuntur sepulcris amici. Tantummodo cum advesperascit et trans Tiberim sol in occasum ruit, sub ramis, inter cupressorum truncos, obliqui labuntur radii qui, pallenti nitore, lucem non colores fundunt; ut nullo nisi moriente lumine nemus perfundatur. Hic summa pax, summum silentium. Vix interdum per herbosos collapsorum murorum clivos pastor oves ducens praeterit et solitudinem, postquam transivit, desertiorem linquit. Non secessum altius remotum fingebat qui suo sepulcro tranquillitatem optavit :

Di faciant mene terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter;
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ;
Non juvat in media nomen habere via [1].

Hic Keatsius sepultus est. Postea amicus, candido ex marmore, sepulcrum posuit, in quo lyra est cujus dimidia chordarum pars rupta est. In lapide quæ jusserat moriens poeta verba inscripta sunt. « Hic jacet cujus nomen in unda scriptum fuit », tanquam imperfectæ gloriæ desiderium. Sed illi qui non ignari sunt quis illius fuerit per vitam supremus affectus, quæ sub leto suprema tristities, aptius et verius inscriberent poetæ versus :

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat exstincti funeris umbra locum;
Et duo sint versus « Qui nunc jacet horrida pulvis
Nimis hic quondam servus amoris erat »
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulcri
Quam fingunt Phthii busta cruenta viri [2].

Hoc quoque, quamvis in Keatsii non in votis erat, verum est. Illius sepulcrum crescenti in annum visitantium numero salutatur. Solitudinem, quam exoptabat ejus desperatio, gloria negavit.

II.

Mihi autem videtur acerba semper et immatura mors eorum qui immortale aliquid parant.

C. Plinius. *Epist.* v. v.

Cum cognitum fuit interiisse Keatsium, ingens per amicos luctus et tristitia fuit, ut si primum et praestantissimum inter se, et illum quo maxime

---

[1] Propertius. III. 14.

[2] Propertius. II. 10.

quondam gloriaturi essent sibi ereptum stuperent et indignarentur. Hac jactura non modo dulcem amisisse amicitiam visi sunt, sed quadam cunctatione perculsi, in posterum deminutas spes, labefactam adversus futurum fiduciam, debilitatam erga laborem fortitudinem habuisse, ut qui promissum decus et exemplum injuste ademptum conspexissent. Talibus plagis homines qui agendi initium faciunt et vitæ vestibulum intrant, confunduntur ac distrahuntur, haud intellegentes quæ causa sit cur Fatum, caecus frondator, pulcerrimos et futuris fructibus ditissimos ramos amputet :

> Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis ?
> Et modo nata mala vellere poma manu ? [1]

Miro luctus consensu illum fleverunt amici, nec magis universo pastorum gemitu lugebatur Daphnis, cum cuncti pastores frigida ad flumina boves agere obliti sunt.

Quo in querentium concentu, carmen quod Shelleyius scripsit, supra cetera eminet, quo nihil admirabilius, nihil tenerius, nihil tristius simul ac fortius, ab amico ad mortuum amicum, unquam dicatum fuit. Quæ de Adone Bio et de Bione Moschus lamentati sunt nihil mollius et delicatius habent ; quæ de Daphni Vergilius nihil dulcius ; quæ de Tibullo Ovidius nihil blandius ; quæ Spenserius de Sidneyio nihil splendidius ; quæ Milto de Lycida nihil sublimius ; quæ Tennysonius de Hallamo nihil sapientius.

Omnes quæ, ex ipsa mortis cogitatione multoque magis ex immatura tam claræ juventutis abolitione, nascuntur tristitiæ, desideria, suspiria fletus, omnes orbati cordis amaritudines maeroresque, in priore poematis parte, congregantur et commiscentur. Quæ poematis pars nihil aliud est nisi Bionis Moschique poematum translatio, ut si coronam e graecis floribus nexam amico poeta adferret. Nam non tantum pro sua parte queritur poeta, sed ad conclamationem omnes eos qui mortuum amaverunt amicum advocat, ut et ipsi lamentationes suas afferant

> Πάντες ὅσοις καπυρὸν τελέθει στόμα βωκολιᾶσταὶ
> Ἐκ Μοισῶν, σέο πότμον ἀνακλαίουσι θανόντος [2]

Nec non naturam ipsam tanti luctus sociam adjungit et flores, arbores, auroram, Oceanum, Echo, maeroris participes fingit, ad antiquorum poetarum imitationem

> Ἀχὼ δ'ἐν πέτραισιν ὀδύρεται, ὅττι σιωπῇ
> κοὐκέτι μιμεῖται: τὰ σὰ χείλεα. σῷ δ' ἐπ' ὀλέθρῳ
> δένδρεα καρπὸν ἔριψε, τὰ δ' ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη [3]

---

[1] Tibullus, III. 5.

[2] Versus quos ad Moschi *Epitaphium Bionis* suppleviese dicitur Marcus Musurus Cretensis.

[3] Moschus, III, 30.

Ex quibus grandis sollemnisque θρῆνος in auras assurgit et caelum lugubri modulatione implet; non tristiore cantu aer resonat.,

> Cycni tortis convallibus ex Heliconi
> Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam [1]

Dum vero Bionis Moschique carmina obsequiarum maestitiam et fletum non transgrediuntur, it longius Shelleyii carmen. Ad altiora ex gemitu paullatim evadit, velut si, trans mortis caliginem, amicum ad culmen quoddam radians et gloriosum prosequens, illuc pervenerit, unde mors et terrores, tenebræ, tristitiæque mortis despiciuntur. Hac in sublimitate solatium invenitur. Jam suavis et benignus Vergilii animus eamdem viam invenerat. Namque suum Daphnin non in tumulo jacentem reliquerat, sed ad astra extulerat, et e luctu progressum monstraverat ad sollemne quoddam gaudium, quo leti amaritudo dissipatur

> Candidus insuetum miratur limen Olympi,
> Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
> Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
> Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
> Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
> Intonsi montes; ipsae jam carmina Musæ,
> Ipsa sonant arbusta « Deus, Deus, ille, Menalca! » [2]

Vergilium suavissimum ducem et magistrum secutus est ipse suavissimus discipulus et poeta Shelleyius. Trans fati litora, ad serena, suum Adonin comitatus est. Nullus equidem nunc defunctum juvenem accipere Olympus potest, et ipsi jamdiu perierunt Panque Dryadesque puellæ. Sed quies, etiam si nullis somniis visitata, quies est. Nonne altior et magis optanda, quia sine somniis est? Illam tandem Adonais possidet quietem. Evolavit e turbato vitæ somnio, in qua, tumultuosis circumsessi erroribus, vana proelia adversus vana phantasmata pugnamus. Nos morientes sumus; mortem mortuus transiluit. Nunc a dolore et molestiis liberatus, dissolutus, principiis rursus admixtus unde, sine fine, recreata viget, virescit et florescit copia rerum, in infinita materiæ mole per innumerabiles formas volitat et permeat. In universam vitam reversus est, ad primordia quæ caelum, mare, terras, flumina, fruges, arbusta, animantes constituunt, ex quibus vivere credimus labentes aetheris ignes,

> Et solis flammam per caeli caerula pasci [3].

Ad sidera mundi meavit, et « caeli lucida templa » in aeternum pervolitabit. Ita ut poema, quod eisdem verbis oriebatur quibus utebantur Graeci

---

[1] Lucretius. v, 542.

[2] Vergilius. *Bucol.* v, 56.

[3] Lucretius. I, 1090.

poetæ : « Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν » ; dissimilibus verbis desinat : « Non Adonin lamentor » ; paullatimque triumphalem sollemnemque modum assumens surgat ad sidera.

Amicum, non multo post, secutus est Shelleyius. Nam cum parva in cymba, ut mos ei erat propter magnum maris studium, navigaret, subita procella correptus, fluctibus mersus est. Corpus ejus, post paucos dies, in litore inventum et rogo ex propinquæ silvæ arboribus exstructo impositum cremaverunt amici. Ritu antiquo, cineres purpureo vino et niveo lacte sparserunt. Cor poetæ tantum Romam tulerunt et in Protestantium cœmeterio sepeliverunt. Sic juxta quiescunt ambo amici, qui numerabuntur « inter illustrium paria amicorum », ut ait ille qui viriliter et generose de Amicitia scripsit[1]. Tristiora perpauca sunt quam duo illustrium juvenum sepulcra sub eisdem floribus dormientium.

αἰαῖ ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὴν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
ἢ τὰ χλωρὰ σέλινα, τό τ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον,
ὕστερον αὖ ζώοντι καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι·
ἄμμες δ', οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροί, οἱ σοφοὶ ἄνδρες,
ὁππότε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον[2].

---

[1] Cicero. *De Amicitia*, IV.
[2] Moschus, *Epitaphium Bionis*, 100.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

> Te sequor, o Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
> ficta pedum pono pressis vestigia signis,
> non ita certandi cupidus quam propter amorem
> quod te imitari aveo.
>
> LUCRETIUS. III. 3.

Non nobis de Keatsii poematibus locuturis in animo est omnia quæ in eis continentur considerare. Magnum et multiplex opus est nec multum ab infinito distans, unius hominis, omni ex parte, animum complecti et perpendere quid senserit, quid speraverit, quid tentaverit, quid sibi tentandum proposuerit, utrum quod perfecerit ambitionis finem an ingressum, et famæ fundamentum an cacumen existimaverit. Hoc difficilius adhuc fit cum per se hominem non longius intuentes, incipimus circumspicere quibus ex originibus ortus sit, quid et quibus debuerit, quos imitatus sit, a quo poematum materiem, a quo spiritum, robur, leporem, a quo versuum modum sumpserit, qua ratione hæc omnia miscuerit cum quibusdam ex se ipso editis, nam omnis poetæ Corinthium metallum est in quo diversorum metallorum venae et priscorum operum vestigia sunt. Consilium non nobis est tale aggredi opus. Nam, licet hic de vita brevi paucisque scriptis agatur, nihilominus multiplex et difficilis res sit, eam propter causam quod tota vel parvum in poema poetæ mens saepe effunditur, nec minoris laboris est liquoris naturam cognoscere seu de cyatho seu de dolio judices. Non igitur suscipimus discernere quid Keatsius aut a prioribus poetis, aut ab eis quibuscum conversari potuit receperit, quid Spenserio, quid Miltoni debuerit, quomodo Leighius Huntius suis sermonibus flammam ejus accendere, suo exemplo formam aliquantulum vitiare potuerit, quam copiose et aliquando quam solute patrio sermone usus fuerit, qua ratione ipse posteriores poetas suo exemplo ad imitationem sui sollicitaverit.

Non in illius operibus laudes inveniemus quibus Graeca ars et, ex Graecorum imitatione, ars Romana, insignes fuere, et supra ceteros homines ad effingendam pulcritudinem postea enitentes adeo excelluere ut, dum

ceterorum temporum et populorum artes pulcrum quoddam imperfectum et rude magno molimine vix expresserunt, pulcrum ipsum perfectum simpliciter et quasi sponte possidere visæ sint. Non Keatsii scriptis inest illa structura, quæ Graecorum non minus poematibus quam aedificiis quasi latens et penitus subest, cui parent partes omnes, qua ordinantur et ad clarum accommodantur finem, quæ per universum opus diffusa prominet per ornamenta, ut non ei superaddita fuisse sed ex ea efflorescere videantur. Non hanc constructionem et, ut ita dicam, oeconomiam ille cognovit, qua fit ut singula non per se et propter se excogitata ad voluntatem suam agere videantur, sed sub certissimo imperio ad significandam et indicandam operis rationem conspirare, nec turbam sed civitatem constituere. Lucidum aliquid et terminatum clarumque et finitum illi quoque defuit, ex quo Graecorum opera certis lineamentis cincta et vincta formam materie etiam durissima stabiliorem sumpserunt, ut in Graecis statuis marmor eburque soliditatem a figura sumere videantur. Nec non alienus ab eo fuit ille modus et quædam moderatio quæ maxime ad vim exprimendam valet, quia qui ea utitur artifex non tantum virium possidere videtur quantum exhibuit sed quantum voluit exhibuisse, et ingenii copiam non tam proponere quam disponere. Nec, ut ad extrema et minuta descendamus, in tractanda materia satis certo artem manumque dirigit neque instrumento satis habili et accurato utitur.

Quam distans ab antiqua arte fuerit Keatsius etiam manifestius erit si cogitaverimus omnibus prope eum muneribus praeditum fuisse quæ Graeci ingenii claritati et temperantiæ contraria sunt. Maxima ei ubertas, nimia verborum et imaginum copia quæ effunditur undique, nulla rerum regula nec disponendarum partium disciplina, sed immodica nullisque certis finibus circumscripta abundantia, ita ut antiquorum scriptorum ars verba vinclis vincire, ars autem Keatsii e vinclis verba solvere videatur. Nullum sententiarum profusioni modum imponebat et ei libenter Apellis reprehensionem injiceres a quo dicebatur « eos pictores peccare qui non sentirent quid esset satis [1]. » Multæ reconditæ et abstrusæ res, facilitas quædam laxata et diffusa suavitas, multa praeclare inchoata, perfecta pauca, ut operibus nec meditationem præcessisse nec manum accessisse extremam facile intellegas. Non illi exquisitum illud laeve et finitum quo Athenæ splendebant, nec illa quæ Attica appellatur temperantia, sed barbara et, ut ita dicam, Asiatica et Persica divitiarum ostentatio, quo uno verbo magis quam multis quantum Keatsius a Graecis remotus fuerit et Graeci leporis ignorans manifestum fiet.

Sed hæc vitia in Barbaro, Asiatico, Persico homine erant qui Graeciam amabat et speciem pulcritudinis e Graecis manibus Graecisque ingeniis ortam, praeter omnia, admirabatur. Antiquas Hellados fabulas, Olympiorum praelia et amores, Dearum cum mortalibus connubia, heroum

---

1 Cicero. *Orator*, 22.

facta, regum bella, omnes hujus divinæ vitæ nostra grandioris terrores splendoresques, « ingenti perculsus amore », sua in mente revolvebat. Ut qui de magnis audiens ad ea viam inire cupit, in talium cogitatione vivebat. Potentia ad quodlibet intellegendum auxilia amor et admiratio ; templum nullum est cujus ostia non se pietati pandant et auro et ebore lucentia in adyto simulacra patefaciant. Qui longum intuetur, intellegit ; qui multum amat amplectitur; qui alte, penetrat. Multi e recentioribus poetis Graecos magis familiari commercio frequentaverunt; nescio an quis ardentiore cultu eos appropinquaverit. Qua religione meritus est ut aliquando ei Apollo appareret.

Huic juveni barbaro attamen non nullæ inerant facultates haud ita Graeci ingenii dotibus dissimiles et quæ nihil nisi Graecam disciplinam requirebant ut claræ perfectæque exstarent.

In primis inerat quædam creandi facilitas et felicitas quæ, sine ullo labore nec ad ullius imitationem, nec ulla ambitione incitata, fructus edebat, sed sponte sua et in ipso usu sui gaudens. Cujus rei fons erat quædam sanitas, quædam alta et ex alto veniens vivendi laetitia, quædam comitas et juvenilis diffusio animi, quæ cuncta similitudinem habent cum laeto spiritu quo Graecorum opera vigent. Ut pristinum mundi aevum, cum res inchoarentur et rudes e rudibus principiis gignerentur formæ, (quæ primordia novitate formarum et corporum varietate ita obruta et superata fuerunt ut funditus retro lapsa videantur) tamen nunc etiam quadam continuitate, in primis nascentium corporum diebus perspicitur et post tot secula novæ rerum implicationi subjacet; ita fit ut « juventus florida mundi » nonnunquam juveni in mente florescat adhuc. In priscis Keatsii vitæ temporibus non nulla fuere momenta cum antiquum vitæ oblectamentum et Graeca alacritas rursus vivere videretur.

Hanc alteram adde cum Graecis cognationem quod, praeter omnia, pulcrum amavit et appetivit. Poetarum aliis patriæ amor ; aliis humani animi motus ; aliis ruris studium ; aliis virtutis laudes vel vitiorum vituperatio ; aliis amicitia et amor, carminum fons et principium fuerunt. Illum, trahebat, pictorum et sculptorum more, sparsa per omnia venustas ; delectabat pulcer rerum aspectus; alliciebant formosa corpora, splendidi colores, cuncta quæ, per sensus, animum corporali quodam gaudio permulcent. Cetera parvi faciebat, vel potius ne respiciebat quidem. Formæ decus, supra omnia, ponebat, colebat, venerabatur. Nec mirum ; namque ad discernendam pulcritudinem natus et compositus fuisse videbatur. Quod pulcrum per vulgaria vitæ sparsum et reconditum est, admirabili acie distinguebat carpebatque ; supra vilem turbam rerum, miro in mundo versabatur ex his omnibus creato quæ his in terris pulcra sunt ; ut qui procul a terræ limo et hominum tramitibus purpureos auratosque vapores tantummodo calcaret. Quo spectaculo contentus,

non virtutem, non gloriam, non hominum labores tristitiasque animadvertebat, nec bella quibus semper videntur agitari mortalia secula :

> Et velut aeterno certamine praelia, pugnas
> Edere turmatim certantia, nec dare pausam
> Conciliis et discidiis exercita crebris [1].

Ad humanas querelas surdus, ad miserias caecus, soli pulcritudini intentus, multa ignorabat.

Haud certe nos fugit eum non eodem excellenti et perfecto modo pulcrum vidisse, nedum expressisse, quo Graeci. Inutilia omittendi facultatem non habuit qua, necessaria tantum et rerum fundamenta excerpens, artifex quid pulcrum quævis res sit, non quæ pulcra contineat, occupat ; ita ut rerum structura appareat. Non Keatsio illa erat simplicitas qua praecipua et conspicua eligeret. Sunt illius opera densa nimis et luxurians silva in qua nusquam

> canit frondator ad auras [2].

Passim minutias rerum, mira subtilitate, potius deprehendebat quam summam, largo amplexu, comprehendebat ; quæ nemo dispexerat potius reperiebat quam quæ omnes cernebant; ornamenta magis quam fulcimenta rerum et quæ eas varietatibus distinguebant magis quam quæ constituebant, percipiebat. Sed illa in pulcri investigatione quam acutus, quam sollers, quam tenui et rapido acumine praeditus, quo multa venusta et delicata, quæ in naturæ spectaculis sepulta ignorataque dormitaverant, detexit, excitavit, in lumen prodidit, attonitis hominum oculis ostendit ! Quantus amor pulcri, quantum in pulcro gaudium ! Ita ut, etsi manifestum est eum non Graeco ritu pulcrum coluisse nec super aram Attico ex marmore Hymettium mel posuisse, attamen, quantum in se erat, Deum coluit, et mel attulit non tam flagrantibus ex floribus, nec tam lucidis in favis fabricatum, sed dulce tamen et acceptum Musis donum.

Tertium hoc adjiciam, non parvi ad Graecorum imitationem momenti, quod Keatsium nullum philosophiæ studium, nulla religio impediebat quin se totum pulcri illecebris deliciisque traderet. Non a nobis asseritur Graecos pulcrum unice amavisse et nihil supra appetivisse ; cum suis Diis humani corporis pulcritudinem darent, humanam formam divina quadam majestate induebant, ut simulacra adspicientibus non tantum admiratio ex humana parte, sed reverentia ex divina nasceretur. Nihilominus cum Hellenica religione pulcrum arte conjunctum fuisse constat,

> illius quasi quod vas esse videtur,
> Sive aliud quidvis potius conjunctius eii
> Fingere [3].

---

1 Lucretius. II, 117.

2 Vergilius. *Bucol*, I, 56.

3 Lucretius. III, 555.

Sed postquam qui tunc immortales existimabantur Dii ex Olympo pulsi sunt Prometheique contra Jovem minæ perfectæ sunt et tempora fuerunt quum poeta diceret

at nunc desertis cessant sacraria lucis [1],

et circa aras creverunt herbæ, nova humanas mentes occupavit religio. Hæc venustorum superbiam dejecit, et paupertatem, egestatem, maceriem adeo extulit, ut beatos pauperes esse pronuntiaret. Tunc factum est formæ et religionis discidium. Inde homines consueverunt, trans terrestria, Dei cultum et virtutis insectationem ponere. Talis tam universus animorum affectus exstitit, ut qui recentiores vixerunt et artis religionis nodis sese liberaverunt, quasi Shelleyius, doctrinam tamen, philosophiam, praecepta quæ ad rectam vivendi rationem pertinent, iisdem viis, quaesiverint, et superhumanum aliquid appetiverint. Ita fit ut isti modum finesque intra quos continetur pulcrum, transgressi sint, ut non rerum spectacula per se conspicienda existimaverint eaque altioribus cogitationibus subservientia fecerint; ipsique sublimes ad quamdam elati sint regionem, in qua pulcri materies extenuata evanescit. Non talem Keatsius tentabat altitudinem; solidis et terrestrium pulcerrimis adhaerebat; nil ultra contemplationem et admirationem rerum

oculos quæ pascere possunt [2]

desiderabat, nil altius assequebatur, nil divinius. Formarum et figurarum venustate, colorum suavitate allectus, nil inter se et ea quæ admirabatur interponi sinebat, neque a certo pulcri conspectu umbris, ut libenter dixisset, rapiebatur. Nullum aliud propositum totius vitæ habebat, nisi semper pulcritudinis delicias quaerere,

et caput in verna semper habere rosa [3].

Talibus de causis non mirum est Keatsium, quamvis multa ex parte a Graecis discreparet, tamen eos duces et magistros elegisse, eorum secutum fuisse vestigia, sese nobilissimorum ingeniorum familiæ adscisci cupientem.

Nec perdifficile est conjecturam facere quæ potissimum eum invitaverint, in magna Graecorum operum varietate quæ, a nascentis Hellados heroïcis fortunis ad extremos morientis Graeciæ nisus, porriguntur. Nulla Keatsii ingenio affinitas cum illa arte quam Athenæ ad perfectum duxerunt et in lucidissima luce posuerunt. Nimia in ea moderatio, temperantia, perfectio; nimis certi omnibus fines; et tantum immanium odium, ut humana figura Olympo etiam potita esset, nec Dii ipsi humanum modum excederent. Quæ cuncta parum cum illius ubertate congruebant. Eum magis prisca et fabulosa attrahere debuerunt tempora, cum religionis et

---

1 Propertius. III, 11, 47.
2 Lucretius. II, 420.
3 Propertius. III, 3.

artis elementa, nondum in finitam speciem coacta, primum coirent et aggregarentur; cum omnia paulatim ex tenebris in lucem emergentia, immensa et incerta magis apparerent, ut quæ in dubio surgentis diei diluculo grandiora quam in certo regnantis solis nitore videntur. Tunc, ut in omnibus quæ inchoantur, major est amplitudo et vastitas quam ad perfectam et exactam proportionem reducere posterioris artis officium est. Tunc in ipsis rebus reconditum et obscurum aliquid, et circa res aliquid interminatum et infinitum, quæ clariorum ingeniorum lucidis telis postea explorabuntur, illuminabuntur et illuminata excutientur. Illa vasta exordia, procul a vita nostra remota, cum gigantes heroesque viverent et multa mirabilia fierent, nec Deorum hominumque acta intra nostræ conditionis modum subsiderent, apertiora spatia praebebant, per quæ Keatsius ingenii sui profusionem effunderet.

Reipsa, si illius opera perlegimus, nihil quod ad Graecam vitam, qualem vel degerunt Graeci vel degisse creduntur, pertinet, reperimus, nec poemata ad Sophoclis exemplar informata et marmoream firmitatem affectantia. Antiquos scriptores repetens, ex Hesiodi carminibus, vel Homericis hymnis, operis materiem et effigiem ducit. Quare, apud eum, superhumana et mirabilia praecipue invenies, prodigiosa heroum hominumve facta, Deorum vitam omnis termini nesciam et impatientem, quorum potentiæ vel desideriis nil obstat, nisi cum poetæ inventio majora suppeditare recusat.

Sed, inter illam immodicam magnitudinem et luxuriantem partium abundantiam, eum perspicere licet ad simplicitatem et claritatem enisum fuisse et, qua perveniret ad certius lumen, viam sibi munivisse. Non eum cottidie aliquid e confusione sua dempsisse, et, lignariorum more, ramos amovendo collucavisse nemus significo. Alia similitudine uti vellem, et libentius dicerem illius poemata, interiore quodam ad lucem motu, crevisse, ut silvæ ex dumetorum obscuritate sese erigentes, ad arborum proceritatem et libertatem, proprio augmine, perveniunt; ita ut, quo altiores, eo clariores fiant. Tali modo Keatsii poemata ad melius crevisse videntur. Quæ postrema scripsit, claritate multo prioribus praestant, et quo magis assurgebat illius ingenium, eo magis lumine perfundebatur. Nec sine diffidentia declarari possit ubi cessatura fuisset hæc progressio, adeo, in paucorum annorum intervallo, ejus opera inter se distant, etsi quæ postrema perfecit poetarum plerisque vix sunt laborum et famæ exordium. Nunquam eum ad Æschyli sublimitatem neque ad Sophoclis dignitatem accessurum fuisse fingimus; sed non procul ab Euripidis humanitate forsan abfuturus fuisset, si vivendo vitam melius cognovisset. Namque non obliviscendum est eum, cum periit, tantummodo ex adolescentia egredi incepisse,

Paulatimque gradus aetatis scandere adultæ [1]

---

[1] Lucretius. II, 1123.

CAPUT II.

PRIMA POEMATA.

Usus et impigrae simul experientia mentis
Paulatim docuit pedetentim progredientes.
Sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

LUCRETIUS. V, 1448-1453.

Primo in Keatsii libro, non effulget sed translucet, nec tam apparet quam praesagitur Graeciæ poeseos admiratio. Hic enim, ut diximus antea, praesertim continebantur scriptæ ad amicos epistulæ, in quibus nullum poema tractabat, sed quæ poemata tentare vel amaret vel cogitaret exponebat poeta. Poematum lemmata sibi proponebat incertus quid perficiendum eligeret. Non se poetam offerebat, sed se futurum meditabatur et, dum meditabatur, illi similis fiebat qui, ex somno experrectus, somnio se potitum inveniret. Nonnunquam, apud pictores sculptoresque, breves adumbrationes vel tenuia sigilla reperire est, quæ, rudia et inchoata tantum, pinacum statuarumque futurarum elementa sunt et prima informatio. Inter quæ, nunc hoc, nunc illud, sive marmore sive colore dignum excerpit artifex, amplificat, emendat, consummat et ad perfectionem ducit. Nihil aliud primum est Keatsii volumen nisi tabulinum quoddam ubi multa talia sigilla jacent. Sed ad quæ opera artifex studium inclinaturus sit, inde jam videri potest.

Non dubia Keatsii propensio ; etenim quæ in animo volvebat futura poemata, neque ex praesenti vita, neque ex Britannicis annalibus excerpta sunt, sed antiquis ex fabulis. Se summo in colle stantem fingit et, dum labentia « per caerula cœli » [1] nubila suspicit, quaerentem quæ cantare tentet si poetica munera illi Musæ tribuerint. Nihil nisi antiqua invenit omniaque quæ

veteres Graium cecinere poetae. [2]

---

[1] Lucretius. I. 1089.
[2] Lucretius. V. 406.

Eum enim exaudiamus : « Ille poeta fuit, ait,

qui primum dixit qua via Psyche rapta fuerit,
mollibus insuper auris, ad sedes mirabiles;
quam perceperint Psyche et Cupido voluptatem, cum labra
primum junxerunt; quam tenere et molliter mulcerent
invicem sibi genas; quot suspiria dederint;
quam innumerabilibus tremulos osculis oculos basiarent;
ille et argenteam lampada dixit, duorum amantium voluptatem tristitiemque,
tenebras, solitudinem, horrendum tonitru,
quibusque ex casibus evaserint et ad caelum evolaverint,
ut grati genu flecterent Jovis ante sedem. [1]

Et simili modo illum dicebat fuisse poetam, qui ramos dimovit,

ut in vastam silvam oculos conjicere posset,
Faunosque deprehenderet Dryadasque
per arbores dulci cum frondium fremitu diductas advenientes;
et sertis ex agrestibus suavibusque floribus nexis
eburnea bracchia et talaria levia ornatos;
dum cantabant omnes quomodo formosa, tremula, Syrinx fugerit
Arcadium Pana, mira formidine capta.
O miseram virginem! o Pana miserum! quantum gemuit ille reperiens
nihil nisi secreta suspiria venti,
amnis per arundines, vix auditum murmur
dulcem lamentationem susurrans suavemque querelam. [2]

Et Narcissi historia ei cordi erat ad fontem jacentis, qui suæ correptus imagine formæ, irritum amavit simulacrum ; et Endymionis amores eum delectabant :

Poeta erat et, sine dubio, erat amans,
qui stetit super culmina Latmi ; dum spirantes
dulciter auræ, ab subjacenti valle myrtis referta,
languide ad eum adferebant sollemne, dulce, lentum,
ex Dianæ templo carmen, dumque surgentia
sideream ad Deæ sedem tura ascendebant.
Quanquam faciem infantis ocellis puriorem habebat Dea
et ex caelis sacrificio arridere et favere videbatur,
Deæ tamen solitudinem poeta miseratus est,
propter quam nobile iratus, aurea carmina nectens,
dulci Cynthiæ Endymiona dedit. [3]

Hoc vere sigillum erat quod artifex, in altam et pulcram statuam, amplificaturus erat. Nec tantum illa in antiquis fabulis delectatione ostendebatur quem antiquitatis amorem et cultum haberet Keatsius ; sed hoc etiam

---

[1] Keatsius. *I stood tiptoe upon a little hill.*
[2] Keatsius. *Ibid.*
[3] Keatsius. *Ibid.*

quod, cum de praesentibus scriberet, ex antiquis imagines quaerebat quibus versus adornaret; ut qui vetera signa ad novam domum decorandam adferat. Cum in eo esset ut excusum librum publicaret, secum quaesivit quod omnis poeta, primum cum habet in manu volumen :

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum? [1]

Leighio Huntio, qui ad scribendum eum incitaverat, et ejus solebat « esse aliquid putare nugas » [2] dicare librum statuit. Quod parvulo in carmine egit, in quo clare antiquæ vitæ desiderium et cupido apparet, cuique, ni fallor, haud antiquis poetis indigna jam venustas inest. Nonne vivida est et suavis illa descriptio temporum, cum ad salutandam auroram innumeris e tripodibus tura fumarent, innumerisque e calathis spargerentur flores :

Evanuit Decus evanuitque Venustas;
namque, prima sub luce, si foras eximus,
non surgentem fumum prospicimus turis
nascentem ex oriente diem salutantis;
nec Nympharum videmus catervas dulce garrulantes, teneras, laetas,
vimineis adferentes in calathis spicas,
rosas, dianthos, violasque, ad ornandam
Floræ aram, primo ineunte Maio mense.
Sed relicta sunt haud inferiora gaudia,
et fato mihi tributo laetabor usque,
quod nostris temporibus, cum sub frondibus
non longius Pana videre conceditur, ego alacrem
et plenam voluptatem capio, delectare quod mihi datum est
pauperibus hisce donis talem, qualis tu es virum. [3]

Talibus praeludebat poeta; nec difficulter praesagiri poterat ejus carminibus antiquae nec lyrae nec tibiae sonos defuturos.

---

1 Catullus. I, *Ad Cornelium Nepotem.*
2 Catullus. I, *Ad Cornelium Nepotem.*
3 *Glory and Loveliness have pass'd away.*

CAPUT III.

ENDYMION.

Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo.

PROPERTIUS, II, 12.

Nudus et Endymion Phoebi cepisse Sororem
dicitur, et nudae concubuisse deae.

IBID.

Hæc loca capripedes Satyros Nymphasque tenere
Finitimi fingunt et Faunos esse loquuntur ;
Quorum noctivago strepitu ludoque jocanti
Affirmant vulgo taciturna silentia rumpi,
Chordarumque sonos fieri dulcesque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Et genus agricolum late sentiscere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Unco saepe labro calamos percurrit hiantes,
Fistula sllvestrem ne cesset fundere musam.

LUCRETIUS, IV, 582-92.

Anno sequenti, cum se vere poetam protulit, manifestum fuit quanta admiratione, quanto studio ad veterum Graecorum imitationem duceretur. Nam non ex circumjacenti vita operis materiam sumebat, neque, ut adolescentibus saepe poetis mos est, de amore. In antiqua graeca fabula totus liber versabatur, in qua ipse poeta, dum poema scribebat, vixisse videbatur. Hoc enim non paucorum dierum, vel aliquot mensium, sed totius anni opus erat, quod non minus quam quattuor millia versuum continet quibus totum prope Lucretii poema aequat, Bucolica et Georgica in unum collatas superat, tertiam Æneidos partem, Iliados prope quartam comprehendit, haud parvum nec parvæ ambitionis molimen.

Quod tandem poematis argumentum? Dianæ amores et pastoris Endymionis ex quo liber « Endymion » inscribebatur. Inter tam multa quæ poetæ formam ac speciem cogitationum suarum quaerenti sese obvia offerunt, hanc ex omnibus fabulam elegerat in quam quæ dulcissima juvenili in mente foverat, quæ carissima, quæ exquisita e vita et vitæ spectaculo extracta habebat, effunderet et cui futuræ famæ spem confideret. Non libenter, non confidenter, quale hoc poema sit, exponere assumam. Si hoc verbo significatur unum aliquid et finitum, intra certos fines compactum et quadam symmetria cohaerens, non poema est.

Quamdam esse congeriem poematum potius dicam vel quamdam confusam poeseos ὕλην per quam lectorem traducere aut unde educere difficile est. Imaginem fere referri putares Thebanorum camporum quando eo primum devenit Apollo,

οὐδ' ἄρα πω τότε γ' ἦσαν ἀταρπιτοὶ οὐδὲ κέλευθοι
Θήβης ἂμ πεδίον πυρηφόρον, ἀλλ' ἔχεν ὕλη [1].

Etenim lemma hoc est : Festa die, postquam Pana pastores sacris et muneribus coluerunt, gravi tristitie curaque pallentem Endymiona videmus, juvenem pastorum ducem et decus. Dum alii ludos exercent, sorori suæ narrat se, cum in fluminis ripa dormiret, aut vidisse aut vidisse putasse miram et formosam vel feminam vel potius Deam, quæ eum circumfusis bracchiis amplexa non humana sed divina voluptate perditum blandissimis suaviis amaverat. Eam expergiscens aufugientem viderat neque unquam rursus repererat. Cujus suavis horæ desiderio captus non quietem, non pacem, non gaudia sumere poterat ; sed insanabili tristitia marcescebat. Ineluctabili cupiditate pulsus, eam per terrarum orbem quaerendi consilium capit. Ex hoc Keatsium videmus multa cum libertate antiquis fabulis uti ; hae enim Endymiona somno sepultum a Diana adiri fingunt et caelestes accipere, non petere amplexus : « Endymion vero, si fabulas audire volumus, ut, nescio quando, in Latmo obdormivit, qui est mons Cariæ, nondum, opinor, est experrectus Num igitur eum curare censes, cum Luna laboret a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur ? Quid curet autem, qui ne sentit quidem » [2]. Nostrum vero poema fingit pastorem, Dianæ amore captum, eam prosequi.

Amicam incognitam neque unquam visam, per terras, per maria quaerit ; qua insectatione non tantum latas regiones percurrit altosque transit montes, sed sub aequoribus ponti, per telluris viscera et profundas cavernas pervadit ; ad inferos penetrat, mirabilia loca lustrans et prodigiosa admirans portenta. Omnes fere Deos aeris, telluris, inferorum obvios habet, et illustrissima amantium paria qui in antiquitate celebrati fuerunt, contemplatur. In inferis, dormientem Adonin et advolantem ad eum Venerem cernit. Sub mari coruscantes Neptuni aedes intrat ; vitrea in spelunca narrat ei Glaucus quomodo deus e piscatore factus fuerit, quomodo, puram dulcemque Scyllam quamvis amaret, superbæ et formidolosæ Circes illecebris victus fuerit. Audiuntur undique ad Pana, ad Neptunum, ad Bacchum, ad Dianam carmina ; totumque poema Deorum laudibus, ut templum, resonat. In antiquissimis et pulcerrimis fabulis vivimus, agimus, et per incredibilia admirabiliaque attoniti rapimur. Endymiona per terras, per aera, sub terras, sub mare sequi non possumus.

---

1 *Hymnus Homericus in Apollinem*, 227.
2 M. T. Cicero. *Tusculanæ*, I, 38.

Non omnia immania, stupenda in quæ devenit enumerare ; non omnium quæ vidit, agit, patitur seriem et ordinem distinguere.

In illis rerum aggeribus multa pulcra, multa clara et lucida, nullo quidem modo inter se congruentia apparent, sed summam interdum adipiscentia pulcritudinem. Nulla ibi constructio, nulla coagmentatio. Solis sub occasum, cum nubila et vespertini vapores ad extremam caeli partem congregantur, nonne vidisti aeriam illam structuram illuminari et splendidissima configurari simulacra quæ alia ex aliis sine fine oriuntur et spectacula spectaculis continuant? Tunc prospicere est immania aedificia quæ nunquam regiæ opes aequaverunt, templa marmore et nive candidiora, coruscantes argento turres, flammantia moenia, antra viridi suffusa luce smaragdorum, innumerabilia simulacra ad infinitum recedentia et sese ardentissimo in fulgore oculis subducentia. Quæ cuncta auro, argento, purpura, roseo lumine, vel omnibus illis coloribus inter se pugnantibus irradiantur, ita ut in vasto splendorum certamine omnia misceantur. Nec stant immobilia, sed magnifica quadam confusione et mobilitate fluctuantia aggeruntur, miscentur, pendent, lento ventorum pulsu labuntur, ita ut, disjuncta quasi in pompa, magnificentissima spectacula sine fine, sine ordine, et evanescant et renascantur. Quo nihil admirabilius, nihil mutabilius esse potest; quod cum intentus contemplaris, multa apparent quæ admirere, nihil quod intellegere cures. Non procul abest a tali visu Keatsii poema.

Non igitur nobis tale poema legentibus rerum seriem et fabulæ contextum vel invenire vel prosequi magis in animo est quam spectantibus nubes spectaculorum nexum et juncturam quaerere. Magnificum hic illic prospectum considerare satis erit, et, ceterorum veluti exemplaria, praebere ex quibus longa istarum pomparum evolutio processusque quot et quanta lumina contineant concipiamus. Quæ, ne mixta et confusa habeamus, dividemus in duas partes : quæ depinguntur et quæ cantantur, vel, ut rhetoricis verbis utamur, descriptiones et lyrica.

In primo cantu, poema longa processione pastorum panditur ad Panos aram per nemora euntium et cum carminibus tibiarumque sonitu Deo ruris custodi donaria ferentium. Lentum et magnificum incedit agmen. Nescio an, inter omnia quæ a recentioribus poetis ad Graecorum imitationem scripta fuerunt, aliquid scriptum fuerit augustius. Illis Deorum comitatibus quos Ronsardus noster descripsit, non tanta inest amplitudo et gravitas. Hæc non nobis impar esse videtur illis pulcerrimis et ditissimis pompis quas illustrissimi Italiæ pictores per regalium domorum muros explicuerunt, quando artes litteræque longis e tenebris renascebantur, et antiquitatis amore omnia fervebant. Hic etiam, ni fallimur, magis religiosa gravitas et pietas reperitur, quæ quidem apud illos pictores parva est.

Pompam ducebant puellæ ibantque saltantes,
rusticum carmen iterantes,
et singulæ calathos portabant
teneris Aprilis muneribus refertos. Deinde, festo cultu,
pastorum agmen aderat, quorum sole perusti vultus
illorum, de quibus in Arcadiis poematis legitur,
speciem referebant circum Apolinem tibia cantantem sedentium,
quo tempore Deus, divinior ut in terris esset,
exhalari suam divinitatem et per Thessalicas valles
quamdam veluti harmoniam evanescere sineret.
Pastorum quidam pedum humi trahebant,
alii argutos vel graves sonos modulabantur
tibiis ebeno ornatis. Post illos,
e nemore umbroso egrediens
tranquille incedebat venerabilis senex,
venerandum os ferens, et lumina
in densa tenens gramina defixa.
A tergo sacra vestis fluebat,
a dextra lacte candidius vas pendebat
meri plenum divitem colorem mittentis;
sinistra calathum ferebat omnibus plenum
dulcibus herbis quas invenire potest sollers oculus:
thymo, convallariis candidioribus
quam Ledæ amores, recentibusque a rivo nasturtiis.
Illius annosum caput, fagineis coronatum sertis,
ederæ copia videbatur nive operta
canæ hiemis. Posthac veniebat aliud
agmen pastorum certos in modos voce magna
propriam carminis partem tollentium.
Conspiciebatur, post cunctos,
magna comitatus multitudine tollentium
ad nubila voces, insignis currus
qui tam facile vehebatur ut vix
levis tardaretur gradus trium badiorum equorum.
Ille qui in curru stabat magnæ famæ esse videbatur
apud turbam. In flore vigebat ejus juventus,
Ganymedis maturam modo aetatem assecuti haud dissimilis;
ejusque vestimenta, ut in illis rudibus temporibus,
regis et ducis erant. Seminudo sub pectore
argentea pendebat buccina, et nervosa
inter genua acuta reclinabatur hasta.
Dulce arridebat os; ille videbatur
incuriose spectantibus excogitare
dulcia Elysia in luce otia.
Sed erant qui altius discernere scirent solliciti,
celatamque compressis labris tristitiem deprehendere,
et saepe notarent elabi illius ex manibus habenas.
Suspiria tunc illi ducebant, tunc caduca sibi folia
animo fingebant nec non sollemnia busta.
Ah! miseros! Cur noster juvenis languescit Endymion? [1]

---

[1] *Endymion*, I. 135-184.

Postquam sacra perfecta fuerunt, ludis, choreis, longis praeteritarum rerum narrationibus, dies ad noctem ducitur. Quanto lepore depingantur juvenes super gramina saltantes, quanta arte ornetur hoc spectaculum heroïcæ Graeciæ historiæ, quantam dignitatem a Thermopylarum memoria accipiat, quantam pulcritudinem ab antiquorum marmorum recordatione, ostendere haud necesse est. Satis est ipsos versus legere :

Postquam chorus finitus est,
ad caelum magna e multitudine clamor assurrexit,
in aere languens, ut decrescentia murmura
subiti fragoris, quando in Ionio mari
per aequora resiliunt delphinorum greges.
Interea in locis planis, umbrosis mollique musco sparsis
juvenum catervæ agiliter saltare coeperant
ad cantum rapidæ tibiæ, et ad chordarum murmur.
Continuo illæ pulcræ figuræ suave movebantur
ad modos nunc oblitos, nunc e memoria hominum lapsos.
O pulcra corpora! quorum filiorum filii genuerunt
suos Thermopylis heroas, qui nondum mortui
in antiquis marmoribus superbi stant semper !
Grandes proavi, nescii carpebant
primos dulcesque fructus Temporis. Saltando lassi
in orbem quieti consederunt
herbosos per tumulos finemque audiverunt
mirabilis historiæ qua mittuntur
procul a corporeis claustris juvenum mentes.
Et utrinque intentos si forte ad discobolos spectarent,
triste Hyacinthi letum miserabantur quem
crudeli flatu Zephyrus occidit; nunc Zephyrum poenitet
qui, Phoebus priusquam in caelum ascendat,
nunc flori blanditur roscidis lacrymis...
Aut Argonautas prosequebantur palantes, stupentes,
per mobilia Neptuni itinera quassatos,
quoad a curvati margine caeli
longe lateque splendor emicavit aureus
innumerabilem ponti fremitum
tremulo conspergens metallo. Ille formidabilis fulgor
Apollinis in caelo excitati arcus erat
et caeleste acerbo in dolore lumen.
Et qui ad sublimiores meditationes maturi erant,
quietum coetum adire poterant,
ubi Endymion vetusque sacerdos sedebant
in medio grandaevorum pastorum consensu,
quorum gravitate decorabatur vergens ad occasum
candidior argento senectus.
Disserebatur ibi de fragili saepto
quo caelestibus a sedibus sejungimur,
et quæ nostra in illis officia erunt [1].

---

[1] *Endymion*, I, 304-361.

Inter ea quæ erranti Endymioni obvia sunt, occurrunt Venus et Adonis, quorum pictura nobis indicio esse potest quomodo Keatsius antiquos imitari soleret et ditissimas picturas ditiores faceret. Multis caram poetis pictoribusque picturam effingere non tentavit. Non eos exhibuit vel cum Venus, posita in sinu juvenis cervice, reclinis et oscula verbis interserens eum hortatur ne feras lacessat; vel cum amantem agnoscens morientem et sanguine tinctum candidum pectus nudat. Talia eleganter Ovidius dixerat; Ovidium Shakspearius imitatus erat, scripseratque poema in quo Veneris amor et dolor eloquentissimis et ardentissimis versibus exprimuntur. Non animi perturbationes, quæ magis ad tragicum scriptorem pertinebant, tentavit Keatsius; tranquillius et ornatius spectaculum sumpsit.

Ab aliis scriptoribus suum exemplar petivit. Primum enim pulcerrimam et ornatissimam jacentis Adonidis descriptionem quæ apud Theocritum invenitur legamus. Priusquam nobis utilitati sit, gaudio erit hoc legere :

πὰρ μὲν θ' ὥρια κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται,
πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
ἀργυρέοις, Συρίω δὲ μύρω χρύσει ἀλάβαστρα...
χλωραὶ δὲ σκιάδες μαλακῷ βρίθοντες ἀνήθῳ
δέδμανθ'· οἱ δέ τε κῶροι ὑπερπωτῶνται Ἔρωτες,
οἷοι ἀηδονιδῆες ἀεξομένων ἐπὶ δένδρων
πωτῶνται πτερύγων πειρώμενοι ὄζον ἀπ' ὄζω.
ὢ ἔβενος, ὢ χρυσός, ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
αἰετοὶ οἰνοχόον Κρονίδᾳ Διὶ παῖδα φέροντες.
πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω, μαλακώτεροι ὕπνω...
ἔστρωται κλίνα τῷ Ἀδώνιδι τῷ καλῷ ἄλλα. [1]

Cui adde quæ apud Bionem invenitur locupletior et ornatior etiam descriptio, cujus nec minor abundantia, nec minor venustas est

ἔστ' ἀγαθὰ στιβάς, ἔστιν Ἀδώνιδι φυλλὰς ἑτοίμα·
λέκτρον ἔχει, Κυθέρεια, τό σόν· σὺ δὲ νέκρος, Ἄδωνι.
καὶ νέκυς ὢν καλός ἐσσι, καλὸς νέκυς, οἷα καθεύδων.
κάτθεό νιν μαλακοῖς ἐνὶ φάρεσιν, οἷς ἐνίαυεν,
οἷς μετὰ σεῦ ἀνὰ νύκτα τὸν ἱερὸν ὕπνον ἐμόχθει,
παγχρύσῳ κλιντῆρι· ποθεῖ καὶ στυγνὸν Ἄδωνιν.
βάλλε δ' ἐνὶ στεφάνοισι καὶ ἄνθεσι...
ῥαῖνε δέ νιν χαλοῖσιν ἀλείφασι, ῥαῖνε μύροισιν.
κέκλιται ἁβρὸς Ἄδωνις ἐν εἵμασι πορφυρέοισιν.
ἀμφὶ δέ νιν κλαίοντες ἀναστενάχουσιν Ἔρωτες,
κειράμενοι χαίτας ἐπ' Ἀδώνιδι· χὢ μὲν ὀιστώς,
ὃς δ' ἐπὶ τόξον ἔβαιν', ὃς δ' εὔπτερον ἆξε φαρέτραν,
χὢ μὲν ἔλυσε πέδιλον Ἀδώνιδος, οἱ δὲ λέβησι
χρυσείοις φορέουσιν ὕδωρ, ὁ δὲ μηρία λούει,
ὃς δ' ὄπιθεν πτερύγεσσιν ἀναψύχει τὸν Ἄδωνιν. [2]

---

[1] Theocritus. *Idyll.* xv, 112-127.
[2] Bion. *Idyll.* I, 69-85.

Quod si duas illas descriptiones attente legerimus ornatissimas ditissimasque, et ad Keatsii descriptionem deinde transierimus, non tantum quos potissimum eligeret scriptores intellegemus, sed etiam quomodo eos non imitari sed amplificare soleret, quantisque ornamentis, quanta colorum profusione exemplar obrueret. Fingit vagantem per inferos Endymiona ea loca devenire ubi jacebat sex menses dormiens Adonis, eo ipso tempore cum in eo esset ut expergisceretur et ad amantem rursus vivum impatiens eo potiundi Venus advolaret.

Multis emensis circuitibus,
tandem, subito gressu, ille (Endymion) devenit
in conclave myrtis celsisque arboribus circumdatum,
splendoris, turis dulcisque meli refertum;
ibi continebatur pulcrius et magis mirum aliquid,
nam super lectum roseo serico fulgens,
jacebat in medio dormiens adolescens
eximiæ pulcritudinis, tantæ pulcritudinis
ut absentis maestitia non humanis suspiriis exprimi,
nec amatæ cupido humanis gaudiis comprehendi posset.
Auro variegata stragula, persicis similia
vel quæ medio Octobre languent calthis,
innumeris laevibus sinibus circa eum pendebant,
nec dignam Apolline celabant flexuram
colli humerique, nec genua sollicitantia visum
paullulumque diducta, nec tenera talaria;
sed ea potius pellectis oculis ostendebant
et indicabant. Reclinabatur oblique illius vultus
super candido bracchio, et tenere compressum
dehiscebat parvulum purpureum os
somniantium more, ut cum matutina et tepida
aura rosam aperit rore humidam. Supra illius caput
alta quattuor lilia, candidos jungentia calices,
coronam formabant, circaque eum virescebant
multa gracilia viridia omni flore et colore,
inter se cohaerentia et intermixta...
Et tranquilli circa eum stabant Cupidines advigilantes,
silentes, quorum unus genu nixus lyram pulsabat
gementes cujus chordas suis compescebat alis
continebatque, atque per intervalla exsurgebat
ut dormientem spectaret juvenem; alius vero
ramum salicis fragranti stillantem rore
manu tenebat et supra illius caesariem
quatiebat; alius, sub frondium tecto
sese in aere librans, huc illuc volitabat
et violas ningebat supra dormientis ocellos [1].

Sed jam elapsa sunt hiemis tempora per quæ somno sepelitur Adonis et illo orbata Venus est. Jam Dea cum tepidis auris advolabit, rapida,

[1] *Endymion*, II, 387-427.

trepida, longi ardentisque suavii avida, quod exordium erit ludorum quibus Cytherea in insula rursus ambo lascivient. Ecce venit Dea !

Illa vox
alta silentia rupit; auditur
frondium murmur et fremitus; emicant
palumbes columbæque. Adonis pauca murmurat
immobilemque manum super femore jacentem
inquiete ciet paullatimque ad frontem
admovet. Tunc subitum
vocum murmur resonat: « Age! Age!
Surge! expergiscere! Hic lucida aestas adest,
per prata florentia progressa est, et aliquid dulce
dixit omnibus fringillarum nidis.
Surgite Cupidines! » [1]

Surgentes undique Cupidines et parvulis pugnis gravidos somno oculos detergentes pictura depinguntur cujus venustas non sine quadam affectatione est, ut illa quæ non nullos Ovidii nimis elegantes versiculos exornat.

En viridantes frondes
dehiscunt, et alta apparent
caeruleum caelum currusque argenteus per aera vectus;
mutæ cujus rotæ modo ex humidis matutinis vaporibus exsilientes
densum dispergebant rorem, quo frigido
super teneros Adonidis humeros prolapso,
ille se collegit et inquiete versatus est.
Mox candidæ discernuntur columbæ cervices intentæ,
et lucida linquebant vestigia;
moxque ex longo amoris exilio rediens
Venus incumbens et bracchia tendens:
cujus umbra dormientis juvenis pectus tetigit
et, quodam incantamento, illius in corde
motus excitantur, illius in oculis vita [2].

Quod si nunc ad lyricas partes quæ narrationi intermixtæ sunt nos convertimus, non nulla eadem admiratione digna inveniemus. Quarum primum ad Pana carmen est. Dum media in silva, super Panis aram, sacerdos tura igni imponit et circum aram vinum effundit, quæ flammæ terraque absumunt, ad Deum ovium pastorumque custodem hymnum canunt circumstantes pastores. Non ferum, agrestem salacemque Deum celebrant, qui per saltus, montes et saxosa juga, multivagis saltibus vagatur, cum nympharum cohorte, ut antiquus cum poeta fingebat :

αἰγιπόδην, δικέρωτα, φιλόκροτον, ὅστ' ἀνὰ πίση
δενδρήεντ' ἄμυδις φοιτᾷ χοροήθεσι Νύμφαις·

---

1 *Endymion*, 494-504.
2 *Endymion*.

αἵτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης στείβουσι κάρηνα,
Πᾶν' ἀνακεκλόμεναι, νόμιον θεὸν, ἀγλαέθειρον,
αὐχμήενθ', ὃς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχεν,
καὶ κορυφὰς ὀρέων καὶ πετρήεντα κέλευθα.
φοιτᾷ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διὰ ῥωπήϊα πυκνὰ,
ἄλλοτε μὲν ῥείθροισιν ἐφελκόμενος μαλακοῖσιν,
ἄλλοτε δ' αὖ πέτρῃσιν ἐν ἠλιβάτοισι διοιχνεῖ,
ἀκροτάτην κορυφὴν μηλόσκοπον εἰσαναβαίνων. [1]

Nec venatorem cantant Deum feras exagitantem et sub vespere ab montium verticibus redeuntem ferarum cruenta spolia ferentem

Πολλάκι δ' ἀργινόεντα διέδραμε οὔρεα μακρὰ,
πολλάκι δ' ἐν κνημοῖσι διήλασε, θῆρας ἐναίρων,
ὀξέα δερκόμενος· τοτὲ δ' ἕσπερος ἔκλαγεν οἶος,
ἄγρης ἐξανιὼν...
... λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν
λυγκὸς ἔχει [2]

Cui Deo venatores exuvias offerebant.

Τὸ ῥόπαλον τῷ Πανὶ καὶ ἰοβόλον Πολύαινος
τόξον καὶ κάπρου τούςδε καθᾶψε πόδας,
καὶ ταύταν γωρυτὸν, ἐπαυχένιόν τε κυνάγχαν
θῆκεν ὀρειάρχᾳ δῶρα συαγρεσίης [3]

Humanior ut humanioribus temporibus hic Deus est; mollior sedatiorque factus est; quodcumque ferocis lascivique habebat, exuit. Non arida montium cacumina et torrentia sole aut deserta loca frequentat; sed mollia prata, laetaque rura hominum labore et cultu florentia; ita ut pinguium Britanniæ camporum satius quam arentium Graeciæ collium Deus esse videatur. Modestior quoque factus est nec trahit ad silvam Nymphas, sed eas ex longinquo tantum lacessit. Decenter tandem cum Nymphis Pan ludit.

Sed postquam omnia hæc mutata agnoveris, nonne amplo et pulcro in carmine novus ille Pan celebratur, Deus ruris longiore hominum labore magis subacti.

O tu, immensi cujus palatii pendent tecta
de rugosis arborum truncis, et fronde tegunt
aeterna murmura, et tenebras, ortum, vitam mortemque
florum segni in quiete latentium:
quem juvat Hamadryadas spectare cum solutam
comunt comam, ubi nigrescentes densantur coryli;
quem juvat longas tranquillasque horas sedentem audire
flebile spissarum arundinum murmur,
maestis in locis in quibus morbida ex uligine

---

1 *Hymnus Homericus in Pana*, 2-11.

2 *Hymnus Homericus. Ibid.* 12-15. 24-25.

3 Anthologia Palatina. *Epigrammata Dedicatoria*, 34.

grandes mirabiliter crescunt cicutarum caules,
cogitantem quam maerens, quam invitus
pulcram amiseris Syringa. Hac Die,
per lacteam ejus quam amavisti frontem,
per omnes quos ea fecit tremulos circuitus,
Audi nos, o magne Pan!

O tu, cujus animum ut somnia mulceant, turtures
tenera et ardenti voce in myrtis susurrant,
quando, vesperascente caelo, vagaris
per prata sole perfusa quibus
muscosæ tuæ terminantur aedes;
O tu cui latis ficus foliis jam nunc
pollicentur maturos fructus; leves flavæque apes
aureos favos; rustici campi
pulcros fabæ flosculos et sparsas papaveribus segetes;
garrula fringilla pullos quinque
tibi cantaturos; reptantia fraga
aestivam suavitatem; contracti papiliones
variegatas alas; novus geminansque annus
omnia sua dona; huc ades rapide,
per omnes auras quæ montanas pinus flectunt,
O divine silvarum custos.

O tu, ad quem cuncti Fauni Satyrique adcurrunt
sponte servituri, sive eos capere jubes
sublatentes lepores cum semisomni jacent;
sive praecipites scopulos cursu scandere levi
ut ex aquilarum unguibus miseros agnos eripiant;
seu caeco quodam blandimento utentes in viam
pàstores reducere errantes;
seu praeter spumantia ire aequora
omnesque colligere conchas pulcerrimas
quas tu in Naiadum cellas posthac projicies,
et, te occultans, eas circumspicientes irridebis;
seu te levibus saltibus oblectare
cum sua invicem capita petunt
argenteas glandes vel fuscas pinus nuces mittentes;
Per cunctos sonitus quos circa te reboat Echo
Audi nos, o rex Satyrorum!

O tu qui argutam forficem strepentem audis,
cum tonsus ad tonsos comites subinde
properat aries balatum edens; tu qui cornu inflas
cum dentatis apris teneras segetes vastantibus
irascuntur venatores; tu qui circa praedia spiritus efflas
quibus robigo et malignæ caeli affectiones amoventur;
tu qui insolita et fugacia murmura spargis
quæ camporum supra concava languent
et maesta repunt per nuda incultaque loca;
O metuende, qui arcanas aperis januas
per quas ad omnium rerum scientiam itur, nos adspice

O magne Dryopes nate,
qui frequentes venimus nostras oblaturi preces,
frondibus tempora vincti ! [1]

Vergens ad finem carmen, antiquam Dei figuram linquit quem capripedem barbatumque ruris tutorem poetæ sculptoresque finxerant, eumque numen quoddam ignotum, impenetrabile, immensum, per omnia spatia sparsum esse concipit, per quem omnia vivunt, crescunt, ad superiora tendunt, qui rerum formator inertem materiam spiritu et quasi halitu suo implet et quasi mundi anima est. Quæ carminis pars ad antiquorum versuum imitationem scripta esse videtur :

Πᾶνα καλῶ κρατερόν, νόμιον, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν, ἰδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τά Πανός.
ἐλθέ, μάκαρ, σκιρτητά, περίδρομε, σύνθρονος ὥραις·
ἁρμονίην κόσμοιο κρέκων φιλοπαίγμονι μολπῇ,
παντοφυής, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον·
κοσμοκράτωρ, αὐξητά, φαεσφόρε, κάρπιμε Παιάν [2].

Ad tales cogitationes meditationesque cum sese attollunt humanæ mentes, quasi extra finitarum rerum formas figurasque transgredientes, in quemdam interminatum et vacuum cogitandi modum projiciuntur, in quo immane et inane amplecti enitentes, extra se evagantur et dissipantur,

Nam quodcunque suis mutatum finibus exit
Continuo hoc mors est illius quod fuit ante. [3]

Itaque novi istius Panis contemplationem Keatsius dicit esse recessum et penetrale quo nostræ mentes procul a terrestribus rebus aufugientes et sese e rerum specie proripientes dissolvuntur, quasi aqua e vasibus effusa a quibus formam figuramque sumebat.

Tu esto semper immane quoddam penetrale
quo se recipiunt sollivagæ cogitationes, quibus allicitur
usque ad caeli terminos humana mens
et ibi linquitur perdita. Tu fermentum semper esto
quod hujus vilis terræ limo permixtum
caeleste aliquid communicas, novumque ortum impertis.
Tu semper esto immensitatis signum,
ut replicatum in mare firmamentum ;
Tu aether esto interjacentia spatia replens
et aliquid ignotum. Nihil amplins esto ! submisse
elatis manibus frontem nostram velantes, submisse nos inclinantes

---

1 *Endymion.*
2 *Hymni Orphici*, XI.
3 Lucretius. I, 671.

et clamorem quo scindatur caelum tollentes,
te oramus ut nostrum humilem paeana accipias,
tuo sedens super monte Lyceo ! [1]

Nonne poeta vere numen expressit camporum quales nunc, leonum luporumque expertes, summa in pace jacent, nulla nisi quæ ab caelo oriuntur pericula metuentes, pluvias, nivem, ardentioresque soles, ita ut tempestatum injurias ab eis arcere unicum prope Dei officium sit? Nonne ad vetus carmen recentiores hominum cogitationes et recentiora vota accommodavit, ut qui Panis simulacrum ab Graecia in Britanniam allatum, non solita myrto laurove, quæ apud nos rariores crescunt, decoraret, sed rosas et candida lilia et rubra papavera et quæ passim nostris in hortis campisque nascuntur ad illud afferret. Ita Keatsius vetus carmen patriis floribus ornavit. Nihilominus circa aliquid graecum carminis ornamenta profusa sunt. Antiquum externas inter frondes splendet marmor, arridetque deus juveni qui, virentibus ramis et sertis quæ colligere potuit, priscorum dierum memoriam et desueti cultus dulcedinem renovavit.

Breviore ad Neptunum omisso carmine, longus ad Bacchum hymnus nobis occurrit. Nisi eis quæ jam de Keatsii ingenio cognoscimus utamur, nobis difficile erit quem Bacchum Keatsius cantaverit conjectura assequi. Primo non erit ille quem videbimus incorporalis et occultus deus quem orphica celebrabant carmina :

Κικλήσκω Διόνυσον ἐρίβρομον, εὐαστῆρα,
πρωτόγονον, διφυῆ, τρίγονον, Βακχεῖον ἄνακτα,
ἄγριον, ἄῤῥητον, κρύφιον, δικέρωτα, δίμορφον,
κισσόβρυον, ταυρωπόν, ἀρήϊον, εὔϊον, ἁγνόν
ὠμάδιον, τριετῆ, βοτρυοτρόφον, ἐρνεσίπεπλον [2].

Nam nostrum scimus non ad occulta et mystica inclinari, nec libenter ad immensam et in omnes partes interminatam cogitationis magnitudinem ferri in quam, ut Ciceronis verbis utamur, « se injiciens animus et intendens ita late longeque peregrinatur ut nullam tamen oram ultimi videat in qua possit insistere » [3]. Pulcra non religiosa, et quæ sub oculos visumque cadant, non quæ animum longinquitatis et immensitatis specie fascinent persequebatur.

Nec eum Bacchum speremus qui, siccis in Athenis, incipiente vere, celebrabatur, cum clara in luce, ad candida templa, longæ incederent pompæ, novis floribus per Ilissi Cephisique ripas lectis coronatæ. Non mollis ille Deus erat sed virilis et, ut ita dicam, rusticus nec operæ

---

1 *Endymion*, I. 292-306.
2 *Hymni Orphici*, XXX
3 *Cicero. De Natura Deorum*, I. 20.

sudorisque expers. Non minus laboris quo vitis colitur et defenditur quam vitis ipsius quæ laboris nutrix et solatium est numen esse videbatur. Ad eum non tenera nec languida carmina, sed fortes et generosos extollebant cantus viri qui durum patriæ solum ad segetes, durissima marmora ad religionem, innumeros hostes ad libertatem domare ferro potuerant. Illum Deum Pindarus cantavit, ludos illustres arduosque cantare solitus, quibus Graecia suorum natorum corpora valida, robusta et formosa servabat

Ἴδετ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι,
ἔπι τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοί,
πολύβατον οἵτ' ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα
ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις
οἰχνεῖτε πανδαίδαλόν τ' εὐκλέ' ἀγοράν·
ἰοδετᾶν λάχετε στεφάνων
τᾶν τ' ἐαριδρέπτων λοιβᾶν, Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαᾷ
ἴδετε πορευθέντ' ἀοιδᾷ δεύτερον
ἐπὶ τὸν κισσοδέταν θεόν,
τὸν Βρόμιον τὸν Ἐριβόαν τε βροτοὶ καλέομεν [1].

Non, ut antea vidimus, Keatsio firmitas sobrietasque inerant unde Bacchum effingeret qualem celebrabant

ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι,
Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον [2].

Non Graecum Dionysum igitur laudavit Keatsius? Quem tandem? Num dictu opus est? Asiaticum Bacchum, mollem et effeminatum deum, magno vestium splendore, magno nitentem auri fulgore, majoribus circumventum divitiis quam ut Graecorum ingenio placeret, et Asiatici regis more triumphalem pompam magnifico apparatu ducentem. Ille pulcrior Deus quam virilem formam decet, magna mulierum caterva quæ ad delicias rapiuntur comitatus, non tam vini voluptatem videtur dispensare quam furorem quem a vino capiunt ceteræ voluptates. Nonne hæc Dei mollities luxuriesque jam nobis sese obtulerat?

λέγουσι δ' ὥς τις εἰςελήλυθε ξένος
γόης, ἐπῳδός, Λυδίας ἀπὸ χθονός,
ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔκοσμος κόμην,
οἰνῶπας ὄσσοις χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων [3].

Ille est Deus quem Keatsius ab Euripide, ad quem omnibus e Graecis poetis proxime accedit, imitatus est.

---

[1] Pindarus. Διθύραμβοι, IV, 3.
[2] Pindarus. Διθύραμβοι, IV, 4.
[3] Euripides. Βάκχαι, 233-236.

Fingitur junior quædam Indica mulier carmen cantare more mulierum a quibus, apud Euripidem, cantabatur chorus :

Ἀσίας ἀπὸ γαίας
ἱερὸν Τμῶλον ἀμείψασα θοάζω
Βρομίῳ πόνον ἡδὺν
κάματόν τ' εὐκάματον, Βάκχιον εὐαζομένα θεόν [1].

Cantando illa femina narrat se victore dei θιάσῳ raptam et abductam fuisse. Cum tristis et recenti a maerore saucia ad patrium amnem assideret, Bacchi cohortem, Satyrorum Maenadumque ovantium turbam appropinquantem audivit, transeuntem adspexit et, divino furore capta, abeuntem secuta est. Bacchidum incensa furiis in orgia ruit. Abhinc Deum ineluctabilem, omnia domantem, omnes secum rapientem comitata est. Totum terrarum orbem lustraverunt donec in Hellada advenere, ut eam mulierum unam fuisse dicere liceat ad quas Deus dicebat :

ὦ λιποῦσαι Τμῶλον, ἔρυμα Λυδίας,
θίασος ἐμός, γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων
ἐκόμισα παρέδρους καὶ ξυνεμπόρους ἐμοί,
αἴρεσθε τἀπιχώρι' ἐν πόλει Φρυγῶν
τύμπανα [2].

Hujus carminis exemplar Euripidis chorus fuisse videtur, sed novis et luxuriantibus ornamentis exaggerati, ut Theocriti Bionisque descriptiones auctam et amplificatam Adonidis descriptionem genuerant. Hoc tamen fatendum est, nunquam Bacchi comitatus splendorem et furorem, nunquam ipsius Dei pulcritudinem ditioribus coloribus depictos fuisse. Hilarem turbulentamque turbam audi appropinquantem, ipsum adspice Bacchum :

Cum sederem, ecce ad me, supra colles caeruleo colore tinctos,
clangor adfertur laetantium ; ecce rivuli
in amnem defluentes purpureo colore subito tinguntur ;
Bacchus aderat ejusque comitatus !
Arguta sonabat bucina, acutusque tinnitus
cymbalorum inter se frementium festive strepebat ;
Bacchus aderat ejusque socii !
Mobili similes vineto decurrebant
viridibus foliis coronati, ardentibus vultibus,
omnes deliranter saltabant, per gratam vallem,
ut te fugarent, o Maestitia !
Quam cito, o Maestitia, nihil praeter verbum fuisti !
Quam cito tui oblita fui, ut baciferæ ilicis
pastores sunt immemores cum, junio mense,
proceribus castaneis arcentur solis lunæque radii ;
Quam cito me in amentiam praecipitem projeci !

---

[1] Euripides. Βάκχαι, 64-67.
[2] Euripides. Βάκχαι, 55-59.

Suo in curru sublimis, adulescens Bacchus stabat,
per ludum movens telum edera cinctum,
obliquo risu arridens,
tenues purpurei vini venæ colorabant
lauta candidaque bracchia, adeo candida
ut Venus candidos his dentes imprimere amaret;
et juxta asino insidens Silenus ibat
dum ebrius poculum hauriebat [1].

Hujus saltantis cantantisque catervæ furore et amentia rapitur puella; nec, apud antiquos scriptores, subitum illum et ineluctabilem furorem quo auferebantur mulieres puellæque et subita lymphatæ vesania, delirantes, bacchantesque post Deum trahebantur, unquam tanto impetu et tanta vi expressum fuisse putamus. Ipsis inest versibus nescio quid alacris et rapidi quod mentem trahit. Nihil vehementius nec magis alliciens quam puellarum Satyrorumque cantus sollivagam tristemque puellam ad se advocantium :

Unde venistis, ovantes puellæ, unde venistis,
tam multæ, tam multæ, tam laetæ?
Cur liquistis vestros silentes luculos,
vestras citharas et tranquilliorem vitam ? —
Bacchum sequimur, incedentem Bacchum,
omnia domantem,
Bacchum, adulescentem Bacchum! per prospera, per adversa,
illum antecedimus saltantes, trans vasta regna!
Nobiscum veni, pulcra puella, et una fias
nostræ festæ cantantisque catervæ.

Unde venistis, hilares Satyri, unde venistis,
tam multi, tam multi, tam laeti?
Cur liquistis vestras sedes silvestres, cur liquistis
glandes sub quercibus ruptas? —
Ad vinum, ad vinum glandiferas liquimus arbores,
ad vinum liquimus myricas, croceasque genistas
frigidosque fungos;
ad vinum, Bacchum per terrarum orbem sequimur,
magnum emptorum poculorum et laetorum sermonum numen!
Nobiscum veni, pulchra puella, et una sis
Nostræ festæ cantantisque catervæ [2].

Rapta puella Bacchi per totum terrarum orbem longas triumphalesque peregrinationes cantat, et celebrat quomodo per attonitos barbarorum populos vagans, ad extremos telluris terminos Deus pervenerit et dissimillimas inter se gentes pari imperio subegerit. Et miro quidem modo

---

[1] *Endymion*, IV, 192-217.

[2] *Endymion*, IV, 218-238.

longinquarum regionum novitas et terror exprimuntur, ut nonnunquam apud Herodotum de ignotis et extraneis nationibus narrantem.

Per latos amnes, per celsos montes progressi sumus,
et, nisi cum sese in tabernaculo edera ornato contineret Bacchus,
continuo incedebant tigres, pardique anhelantes,
Asiaticique elephantes;
Progrediebatur illa multitudo canentium saltantiumque,
nec non virgati equi-zebræ, Arabicique equi frementes et fervidi,
omnis generis palmipedes crocodili;
squamosis super dorsis crocodilorum pueri ferebantur, ordine sedentes,
qui, ridentes, nautas funem trahentes
vel remiges in nave laborantes imitabantur;
sic parvulis remis et sericis velis navigabant,
pro nihilo ventos aestusque ducentes.

Pictis pantheris et jubatis leonibus insidentes socii
ab extremo agmine ad primum per campos praedabantur;
triduanum iter intra brevem horam perficientes;
cottidie, prima sub luce solis,
per solitudines, cornu telisque venabantur
feroces unicornos agentes.

Vidi Osiridis cultores Aegyptios genua flectentes
ante diadema sertum vite;
vidi ustos sole Aethiopas, surgentes et cantantes
ad clarum cymbalorum strepitum;
vidi ardentibus omnipotentis meri telis victos
feroces antiquæ Scythiæ incolas;
Indorumque reges aurea sceptra e manibus amittentes
et e thesauris gemmarum grandinem spargentes,
Talia respiciens caelestibus ex aedibus magnus Brahma lamentabatur
et indignabantur cuncti ejus sacerdotes,
eorumque pallor ora occupabat, cum adulescens Bacchus eos transversa intueretur.
Divum secuta, hasce tandem in regiones adveni
lassata dolensque; tunc me cupido cepit
in his horridis errandi silvis
sola, procul a sociis;
et tibi, quæ te audire fas est, cuncta dixi[1].

Hoc recentioris scriptoris indicium est, quod puella, tantæ exultationis delirationisque lassitudine capta, tumultuosa gaudia fastidit, a bacchantibus sociis recedit, Bacchum relinquit ipsum, tranquillioris et gravioris vitæ desiderio capta. Non longius omnium victor est Bacchus. Silentium et solitudinem ea petit et

certe deserta loca et taciturna querenti

in quibus

licet occultos proferre impune dolores[2].

---

1 *Endymion*, IV, 2[illegible]9-271.

2 Propertius, I, XVIII.

In corde insatiabile aliquid fert quod non turbulenta laetitia et acribus voluptatibus satiari potest et tristiores magisque secretos amores optat. Hicque noster poeta altius quam Graeci scriptores in animum descendit illarum mulierum puellarumque, quæ clamosam et vanam laetitiam secutæ, quodam furore percitæ, amentiæ tandem taedio captæ quietem desiderabant et maestæ puriores melioresque cogitabant amores.

Multa sane in illo carmine reperire estquæ non Graeca sunt. Forsan totum carmen nequaquam Graecum esse haud immerito dicas. Nihilominus dubium est an praetereuntis Dei impetus et imperium unquam majore vehementia expressa fuerint; dubium quoque an quæ Asiaticæ mollitiæ pars Dionysi cultui inerat unquam clarius apparuerit.

Quartus hymnus Dianæ consecratur, quam Deam praeter omnes Keatsius amavisse et coluisse videtur. Neque, ut mos est, hominum carmen est ad eam canentium postulantiumque ut ipsis bona conferat, mala autem procul ad montium cacumina projiciat :

ἐλθέ, θεὰ σώτειρα, φίλη μύστησιν ἅπασιν,
εὐάντητος, ἄγουσα καλοὺς καρποὺς ἀπὸ γαίης,
εἰρήνην τ' ἐρατὴν, καλλιπλόκαμόν θ' ὑγίειαν·
πέμποις δ' εἰς ὀρέων κεφαλὰς νούσους τε καὶ ἄλγη [1].

Nihil terrestre hicce cantus habet. Dianæ nuptias advenisse poeta fingit et ex omnibus caeli regionibus cunctas advolare stellas cunctaque sidera ut adsint. Ea mirabilis quædam vox, cujus clamor per caeli spatia sonat, ad sollennia vocat, ex quo vocatu carmen constat.

Quis, quis a Dianæ feriis abesse velit ?
Omnia aurea templa diei
Deseruntur. Quis, quis abesse velit
A Cynthiæ nuptiis et feriis ?
Non Hesperus sane ! ecce enim argenteis alis
ad altum caelum cantando evolat,
laetus, lucida bracchia tendens !
Et tu, Zephyre, ades, et tu quoque, Flora,
O vos teneri qui pluviamque roremque hauritis,
O vos juvenes qui cum rosis et asphodelis luditis,
priusquam intretis, ne immemores sitis implendi
altos calathos
viridi anetho, balsamo, flavis pineis nucibus,
thymbra, mentha, aquilegiis,
dulci apio, suavi ocimo et aprico thymo,
omnibus floribus foliisque omnium regionum
matutino in rore collectis. Ite nunc,
Festinate ! advolate ambo !

---

[1] *Hymni Orphici*, XXXVI.

tu, pellucide, qui caeli zonæ affinis es,
Aquari, qui a magno Jove accepisti
pro pennatis alis duas aquæ emissiones
duos expansos fontes, quibus decorabis
Dianæ ferias,
dissolve puram et lucidam glaciem;
tuos argento candidiores humeros nudos ostende
per tuas pluviosas alas ; splendidius fac,
nuptiali nocte, Reginæ stellarum diadema,
Festina ! Festina ! [1]

Advocantur quoque aliis ex partibus caeli saeviora et truciora signa : Leo, Ursa, Centaurusque, qui, cum assignatas et sejunctas inter se stationes dereliquerunt et in unum locum convenerunt, terrestrium odiorum in caelo etiam memores, veteri iracundia fremunt, ita ut, appropinquante Centauro, Leo tremulam flammis quatiat comam, Ursaque torva minaxque appareat, Centaurus autem, adspectis feris, arcum ut quondam intendat sagittam missurus. Sed mox fidium dulcedine, quæ dulcissimæ Deæ laudes modulantur, feroces animi compescuntur et molliuntur.

Nec maestam Andromedam oblitus est poeta, quæ, remota in caeli parte, vinculis, etiam inter astra, oneratur :

ἀλλ' ἔμπης κἀκεῖθι διωλενίη τετάνυσται,
δεσμὰ δέ οἱ κεῖται καὶ ἐν οὐρανῷ· αἱ δ' ἀνέχονται
αὐτοῦ πεπταμέναι πάντ' ἤματα χεῖρες ἐκείνῃ [2].

Sed aeterna cadant hodie et ad candidos pedes defluant vincula, veniatque ad nuptias, ubi suum videbit servatorem Andromeda.

Cujus poematis jucunditas unde exsistat haud dicere facile est. Nempe perspicuum est ei quamdam inesse pulcritudinem quæ non in ipsa sententiarum significatione contineatur, sed ex ipsis verbis et ex ipsis quæ describuntur rebus videatur oriri. Cum multa florum nomina intra paucos versus, veluti in calathum, poeta cumulat, illis ex nominibus nescio quæ suavitas exire videtur et ex floribus ipsis odor evolare. Sic cum apud Vergilium hosce versus legimus :

tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis ; tibi candida Naïs,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi ;
Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha [3]

---

[1] *Endymion*, IV, 562-585.

[2] Aratus. *Phaenomena*, 202.

[3] Vergilius. *Bucol.* II, 45.

Vel hosce :

> Hæc circum casiæ virides, et olentia late
> Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
> Floreat, irriguumque bibant violaria fontem. [1]

His in versibus non ex poetæ cogitatione aut inventione sed ex ipsis verbis et ex tanta florentium nominum congerie aliquid dulce exsurgere videtur.

Haud aliter, quando lucidorum astrorum vocabula profundit poeta, quodam fulgore et splendore impletur animus ex ipsis appellationibus exortis. Quid hisce Virgilii versibus amplius inest quam verborum nitor :

> Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
> Pleïadas, Hyadasque, claramque Lycaonis Arcton [2]

seu his :

> Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
> Gnosique ardentis decedat stella Coronæ [3]

vel huic :

> Illic sera rubens accendit lumina Vesper. [4]

Hujus modi oblectamentum in Arati versibus invenimus qui exstingui viderentur si ex iis auferretur nominum quædam λαμπρότης. Quid enim sequentibus versibus inest nisi merus nominum fulgor ?

> Ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
> Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
> οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται Ἄρκτου [5].

Quid his quoque ?

> Ζωΐδιον δέ ἑ κύκλον ἐπίκλησιν καλέουσιν.
> τῷ ἔνι Καρκίνος ἐστί, Λέων δ' ἐπὶ τῷ, καὶ ὑπ' αὐτὸν
> Παρθένος· αἳ δ' ἐπί οἱ Χηλαὶ καὶ Σπορπίος αὐτὸς
> Τοξευτής τε καὶ Αἰγόκερως, ἐπὶ δ' Αἰγοκερῆϊ
> Ὑδροχόος· δύο δ' αὐτὸν ὕπ' Ιχθύες ἀστερόωνται.
> τοὺς δὲ μέτα Κριός, Ταῦρος δ' ἐπὶ τῷ Δίδυμοί τε [6].

Cui claritati aliquid majus et vitæ actionisque particeps additur cum

---

[1] Vergilius. *Georg.* IV, 30,
[2] Vergilius. *Georg.* I, 138.
[3] Vergilius. *Georg.* I, 221.
[4] Vergilius. *Geoig*, I, 251.
[5] Aratus. *Phaenomena*, 91.
[6] Aratus. *Phaenomena*, 544.

stellarum imagines immanes per caelum gestus facere videntur æternosque motus figurare. Ut cum Vergilius ait :

Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur ; ipse tibi jam bracchia contrahit ardens
Scorpius, et caeli justa plus parte relinquit [1]

vel :

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus [2]

Sic Aratus magnis lucidisque caelum implet simulacris :

σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης καὶ μηνὸς ἐκείνου
Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός·
ἤτοι γὰρ μέγα τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρου
Τοξευτής· ὀλίγον δὲ παροίτερος ἵσταται αὐτοῦ
Σκορπίος ἀντέλλων, ὁ δ' ἀνέρχεται αὐτίκα μᾶλλον. [3]

Hunc extremum proferamus versum propter splendorem et magnitudinem admirabilem :

Παρθένόν ἥ ῥ' ἐν χερσὶ φέρει Στάχυν αἰγλήεντα. [4]

Simile aliquid Keatsii carmini inest. Ex quo novus ad Dianam effingitur hymnus et valde ab antiquorum scriptorum hymnis dissimilis. Namque hunc homines non cantare sed audire videntur, neque e terra ad caelum surgit sed e caelo in terram descendit, ita ut primum Noctis Regina sua in sede celebretur. Nec Dea indignum inde exoritur carmen. Dum concursum siderum, cunctis ex aetheris partibus in eumdem locum properantium, sequitur animus, quodam fulgore et radianti splendore illuminatur. Flammantia signa undique congredientia, lucidæ stellæ per caerula caeli mirabili celeritate labentes, dum micantes radios festive excutiunt fervidosque post se relinquunt tractus, aeris profunda collustrant. Totum alacris caelum tenet voluptas. Non est quin dulces illi sonitus, quos e stellifero caeli cursu oriri dicebat Africanus, e tanta currentium stellarum multitudine nobis nasci videantur. Innumerabilem siderum chorum pulcerrimæ, castissimæ, mitissimæque Deæ laudes canere dicas, et severa silentia noctis grandi caelestique gaudio impleri. Hos versus legenti voluptas venit voluptati haud dissimilis illius qui, aestivis noctibus, oculis perlustrat stellarum inerrantium multitudinem et ex notarum figurarum similitudine nomina invenit, quo spectaculo nihil

---

1 Vergilius. *Georg.* I, 33.
2 Vergilius. *Georg.* I, 217.
3 Aratus. *Phaenomena*, 303.
4 Aratus. *Phaenomena*, 97.

nobilius, nihil admirabilius esse potest; magnam ac prope caelestem voluptatem quam admirabiliter expressit Aratus :

> Εἴ ποτέ τοι νυκτὸς καθαρῆς, ὅτε πάντας ἀγαυοὺς
> ἀστέρας ἀνθρώποις ἐπιδείκνυται οὐρανίη νύξ,
> οὐδέ τις ἀδρανέων φέρεται διχόμηνι σελήνῃ,
> ἀλλὰ τάγε κνέφαος διαφαίνεται ὀξέα πάντα,
> εἴ ποτέ τοι τῆμόσδε περὶ φρένας ἵκετο θαῦμα
> σκεψαμένῳ πάντῃ κεκεασμένον εὐρέϊ κύκλῳ
> οὐρανόν [1].

Quo subtili et caelesti cantu Dianae pellucida castitas digne celebratur, quem si audire dea potuerit, gaudio

> virgineum suffuderit ore ruborem. [2]

Multum abest quin omnino omnia quæ in Endymione continentur ostenderimus; multa splendida, multa pulcra per totum opus sparsa praeterire cogimur. Sed si cogites quæ sit pastoralis pompæ gravitas, quæ in sopito Adonide venustas, quam nobile, quam amplum illud ad Pana carmen, quam splendidus ardensque ille ad Bacchum hymnus, quam elegans purusque hic quo Diana celebratur, fatendum erit hoc opus inter altissima esse quæ ad Graecorum poematum exemplar, a recentioribus poetis, unquam scripta sint.

---

[1] Aratus. *Phaenomena*, 469.

[2] Vergilius. *Georg.* I, 430.

CAPUT IV.

HYPERION.

> Omnia paulatim tabescere et ire
> Ad capulum spatio aetatis defessa vetusto
> LUCRETIUS, II, 1173.

In praefatione, quam de Endymione poemati praeposuerat, aiebat Keatsius iterum se, quadam die, antiquas Hellados fabulas tentaturum. Non diu moratura erat illa dies, miro in illo laboris impetu quo tunc illius vita rapiebatur. Nempe, insequente anno, novum poema aggressus est, et, intra paucos menses, eo adduxit ut, quamvis intermissum et imperfectum remanserit, attamen grande stet et magni nominis opus.

Inscribitur Hyperion, cujus grave profecto et ambitiosum argumentum. Gigantum enim Deorumque bellum enarrare adortus est Keatsius et quamdam scribere Titanomachiam, grande opus cui vix Hesiodus, et, si similes in alia materie conatus consideras, vix Dantes Miltoque pares fuerint. Tantæ molis est de rebus modum humanarum virium superantibus scribere, ut robustissima tantum altissimaque ingenia tam ponderosum onus sustinere valeant.

Non saeviens inter Saturnum Jovemque bellum poema canit; de quo nunquam multa libenter dixisse poetæ videntur, sed id semper cursim transiluisse. Quamvis res apud Deos immortales agatur, et multa Olympus recipiat facinora quæ, his in terris commissa, fulminis jactu ex Olympo punita fuissent; quamvis etiam, longa ex consuetudine, humanis in mentibus quædam orta sit erga caelestia scelera indulgentia; attamen filii patrem opprimentis victoriæ aliquid tam crudele tamque immane inest, ut ne Diis quidem eam concedere possimus. Hoc poetæ nimis ab nostra erga parentes pietate abhorrere intellexerunt et, sicut patrem filiam mactandam tradentem velamento pictor obtexit, sic filium de patris opprobrio triumphantem silentio dissimulaverunt.

Praetermissis igitur consiliis praeliisque quibus e regno expulit, e caelo dejecit patrem Jupiter, eo tempore exorditur poema cum jam victus, infanda ruina fractus, et securi imperii ruinam stupens, inconsolabilem sub pectore maerorem servans, jacet in solitudine Saturnus. Ingenti ceterorum gigantum clade circumdatur. Jacent cuncti immanium saxorum pondere obruti. Cum ceteri e singulis imperiis a novis Diis ejecti

sint, solus suum imperium retinet Hyperion, et pristinam potestatem majestatemque servat adhuc. Dux ille et moderator diei remanet; Solem ducit adhuc per lucida Horarum regna, sive cum ad ortum surgunt roseæ, sive coruscant medio in caelo, vel ad occasum lassæ rubræque recumbunt; adhuc mortalium turibus laudibusque fruitur. Sed portenta jam appropinquantem ruinam et impendentia pericula illi significant. Illius aedes, per longas porticus aurataque atria sanguineo rubore subito exardescentia, trepidare videntur; super tectis aquilæ volantes domum sinistra alarum umbra obscurant; mirabilesque hinnitus equorum audiuntur neque Diis neque mortalibus antea auditi. Cuncta tristem nuntiant eventum mutationemque qua supremi gigantis potestas in alterius manus transferetur. Non diu morabitur qui Hyperionem lucenti de sede ejiciat et imperium ei eripiat. Jam natus est, jam adest! Ecce juvenis, laetus, pulcer, aureus Apollo, solis et diei dominationem sumpturus! Hic interruptum pendet opus. Verisimile est narraturum fuisse poema supremum gigantum adversus Deos certamen, Hyperionis stragem, Phoebi victoriam, solemque juniori Deo traditum.

Nec tam grandi argumento impar exordium est neque indignum quod post Hesiodi et Aeschyli poemata legatur; insignis laus cuivis poetæ, insignissima autem adulescenti adhuc robur exercenti et experienti tantum quid ferre humeri valerent. Postquam enim tam magna a tam magnis poetis, de Gigantum clade, scripta fuerint, perdifficile erat eadem de re aliquid scribere, quod non immoderatum ambitione, effectu vero infirmum videretur, ut propositi magnitudine conaminis vanitas obrueretur. Non liquit incepti sed infecti desiderium poematis Keatsius. Nobilissima et tristissima delapsi Dei pictura orditur poema :

Sub tristibus umbris imæ vallis,
alte procul a salubri surgentis diei spiritu remotæ,
proculque ab igneo meridie, nec non a solivaga vesperis stella,
sedebat, canitie effusa, Saturnus, ut saxum immotus,
ipsoque quo cingebatur recessus silentio tranquillior.
Circumpendebant supra ejus caput nemora nemoribus instantia;
ut nubibus instant nubes. Nullum aeris ibi spiramentum,
nulla, ut in aestivis diebus, anima, cum
a tremulis herbis semina non cadunt levissima,
et decidua ubi labebantur folia, ibidem jacebant.
Fugiebat per illum locum rivulus, murmura premens, eoque silentior
quod umbra eversi Dei obscurabatur;
suis latens in arundinibus Naias
arcte labris frigidum digitum apprimebat.

Praeter arenosam marginem, grandia notabantur vestigia,
non longius pergentia quam quo progressus erat ipse Deus;
ibique ex eo tempore fixa manebant. Super madido lacrimis solo,
jacebat dextra vetus Dei, exsanguis, iners, frigida,
scaeptro orbata; clausi erant oculi solito imperii visu spoliati,

inclinabaturque caput, ut si Terram
antiquam matrem ille exaudiret solatiumque posceret [1].

Jacentem Deum ecce Dea, tristi incessu, adit, non corporis vastitate Gigantibus impar, Gigantumque soror et conjux, magna Thea. Eam poeta exprimit similitudinibus, quæ, ab omnibus antiquitatis prodigiis ductæ, miram effingunt magnitudinem eoque augustiorem quo ad eam exstruendam vix valeant quæ eximia ab heroibus perfecta sunt, quæ terribilia in inferis continentur, quæ mirabilia de antiqua Aegypto a viatoribus narrabantur. Ex quo ingentium rerum aggere stupenda statura exsurgit et exstat :

Dea erat nascentis mundi ;
hanc juxta Amazonum excelsissima
pygmaea stetisset statura; hæc arripere potuisset
Achillem crinibus ejusque cervicem flectere,
vel, unum admovens digitum, Ixionis tenere rotam.
Ampla ejus facies ut Memphiticæ Sphingis,
quæ, mediis in aedibus, basi incubuit
ex quo tempore sapientes scientiam quaesiverunt ab Aegypto [2].

Poetæ laudes tribuendæ sunt propter hoc quod non frigidum marmor est ingens hæc figura, sed non humanitate caret, illiusque pectus cruciat tristities tanto humanis tristitiis praestantior quanto pelagi tempestates agitato lacu immaniores sunt.

Sed quam marmori dissimilis illa facies :
O quam pulcra si non tam maesta fuisset,
si illius maestitia non ipsa pulcritudine pulcrior visa esset.
Anxiam in oculis habebat tristitiem,
quasi calamitates tantum incepisse nosceret,
et prima tantum adversarum dierum nubila
malignitatem effudisse suam, et malorum extremum agmen
adveniens prospiceret et nova fulmina volvens.
Alteram manum ad dolentem pectoris partem appressit,
ubi saliunt humana corda, quasi
crudelem, quamvis immortalis, dolorem sentiret ;
inclinatæ Saturni cervici alteram manum
apposuit, et ad illius aurem
sese inclinans, disclusis labris, verba locuta est,
sollemnia verba, gravi organorum modo sonantia,
maesta verba [3].

Magna sunt quæ Deo Dea susurrat. Grandisono in sermone, tristities spirat, non mortalibus angoribus dissimilis, et quædam commiseratio

---

[1] *Hyperion*, I. 1-21.
[2] *Hyperion*, I. 26-33.
[3] *Hyperion*, I. 38-48.

feminea caritate non indigna. In hoc immani propter amissum mundum luctu, surgit aliquid humani, et aerumnarum majestati additur misericordiæ dulcedo, nunquam nisi ex maerentibus animis exorta :

O Saturne, suspice ! sed quid, infelix o senex, o rex, suspicies?
Non solatium tibi adfero, nullum est solatium.
Non mihi dicere fas est: « Cur somno jaces ? »
nam abreptum tibi caelum est, tellusque
te sic prostratum non amplius agnoscit Deum ;
et volvens sollemnia murmura mare
scaeptro ereptum est tuo ; immensusque aer
antiqua tua majestate vacat ;
fulmenque tuum, novi magistri conscium,
victæ nostræ genti minatur reluctans ;
et rapida tua fulgura, manibus missa imperitis,
serena quondam adurunt incenduntque regna nostra.
O maesta tempora ! O graviora annis momenta !
Portentosa et vobis labentibus corroborata veritas
fessos nos et maerentes tam dure afficit,
ut nec sperandi nec spirandi locus sit.
Tuum tene somnum, o Saturne. Cur ego inconsulta
solitudinem sopitam tuam temeravi ?
Cur te triste coegi diducere oculos?
Somnum tene, o Saturne, dum effundo ad tuos pedes lacrimas [1].

Non multa, in litteris, grandiora tristioraque sunt quam pictura oppressi desperatione Dei et prope eum Deæ lacrimantis. Admirabili similitudine, poeta gravem sublimemque comparat lamentationem vasto frondium gemitui, nocturna silvarum silentia turbanti : sensim excitatus per nemora alta, immensum veluti suspirium, currit et, post eum, rursus coeunt severa silentia. Gigantes, cui veluti brevia momenta sunt menses, jampridem sternuntur afflictione oppressi, profunda in taciturnitate, densis sub umbris, dum cuncta circum tacent religioso quodam horrore capta. Ni Theæ per intervalla audirentur singultus, ambo numina summa in immobilitate jacentia magna esse crederes simulacra, ex immensi templi fronte delapsa :

Serenis aestivis noctibus, nonnunquam,
vastarum silvarum patres, viridi vestiti cortice,
celsi quercuum trunci, ramos miti stellarum visitatione permulsi,
cum somniant et immoti longa per noctem somnia tenent,
en gradatim assurgens unum solumque flamen
labitur super silentium, et evanescit,
ut si omnis uno fluctu permotus subsideret aer.
Tali modo illa orta sunt et evanuere verba,
dum Dea lacrimis effusa,
humi vastam frontem inclinatam habebat,

---

[1] *Hyperion*, I. 52-71.

ita ut profusi sparsique crines
molle pretiosumque Saturni pedibus tapetum praeberent.
Totum per mensem, lenta vicissitudine, dum luna diffudit
in nocte suas quatuor argenteas tempestates,
immoti ambo, eodem in statu manserunt;
sculptis in templi recessu imaginibus similes:
ille Deus gelu rigens humi prostratus,
illaque maerens Dea ad illius pedes illacrimans [1].

Grandem illam deserti Saturni picturam non loci, in quo strati sunt et torquentur Gigantes, descriptio aequare videtur, nec par esse similibus apud Hesiodum Miltonemque descriptionibus, in quibus obrutos Gigantas ille, dejectos alter e caelo Angelos, depingebat. Immanem humanisque viribus majorem horrorem noster frustra conatus est assequi poeta; nempe non ad terribilia atrociaque illius mens inclinabatur, sed pulcra potius claraque appetebat. Non atros Averni halitus, more avium, circumvolitabat. Non multo magis formidabilia sunt quæ depinxit Tartara desertis obscurisque locis, in quibus incedit viator, saxosos Caledonicarum montium secessus trajiciens. Hisce oris nescio quid immane infandumque deest ut inferno non terrestri horrore impleantur.

Pervenere Saturnus Theaque ad maesta loca,
ubi gemebant Cybele obrutique Titanes.
Vastus erat gurges, in quo non molesta luce
illorum lacrimæ illuminabantur; in quo illi suorum gemituum
singultus sentire, non sonitus audire, poterant;
quia mugitus horrendos edebant tonantes cataractæ,
raucisonique torrentes, inexhaustam profundentes
impenetrabilibus in tenebris aquam.
Adversi scopulis scopuli praeminebant, saxa,
ut si e somno exsurgerent,
cornua extollebant immania, et frontes frontibus opponebant,
innumeris horridis contorta figuris;
quæ apta crudelibus sedibus tecta struebant.
Miseris sedilia non erant; sed strati jacebant
per aspera saxa, scabrosasque rupes
ferrea robigine horrentes [2].

Non illa descriptio torrorem habet, funebremque majestatem descriptionis qua Milto debellatorum Angelorum sedem depingit, tenebrosa loca, luridis usta flammis, ardentesque lacus, ubi immania volutantur corpora. Nec ipsa Miltonis descriptio, in qua ad immensam magnitudinem terrestria amplificantur spectacula, ut non ea comprehendere possit humanus visus, nec quam in umbram, quam in noctem mergantur prospicere, descriptionis Hesiodi formidinem aequat, in qua nulla sunt

---

[1] *Hyperion*, I. 73-88.
[2] *Hyperion*, II. 5-17.

spectacula. Nihil Theogoniæ Tartaris terribilius concipi potest. Infanda vere loca sunt, in quæ nunquam humanos oculos penetrare fas est. Ibi cuncta caligine mersa sunt, et tanta strage confusa ut nihil distingui possit, nisi immensa nox aeternis convulsa procellis. Ex tenebroso barathro ad terram immanis horror exhalari videtur; in barathro autem nihil cerni potest.

> Ἔνθα δὲ γῆς δνοφερῆς καὶ Ταρτάρου ἠερόεντος
> πόντου τ' ἀτρυγέτοιο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
> ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασιν,
> ἀργαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ,
> χάσμα μέγ', οὐδέ κε πάντα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
> οὖδας ἵκοιτ', εἰ πρῶτα πυλέων ἔντοσθε γένοιτο.
> Ἀλλά κεν ἔνθα καὶ ἔνθα φέροι πρὸ θύελλα θυέλλη
> ἀργαλέη· δεινὸν δὲ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
> τοῦτο τέρας· καὶ νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ
> ἕστηκεν νεφέλης κεκαλυμμένα κυανέῃσι [1].

Keatsium ad talem sublimitatem non accessisse, ex duorum descriptionum collatione, satis manifestum habemus.

Poetæ tamen laus parva non est, nostro quidem judicio, quid Gigantum pugna adversus deos significaret clare intellexisse et eloquenter expressisse. Admirabiliter interpretatus est nil aliud esse illud certamen, nisi figuram qua priscas et informes vitæ formas a novis et magis perfectis speciebus expulsas fuisse exprimitur. Nihil aliud indicant antiquorum Deorum ruina et recentiorum victoria, nisi ab humilioribus et rudioribus ad altiora et clariora progredientem mundum, aedificiorum instar, ubi quæ excelsa et summa fuere, ipsius structuræ augmine, deprimuntur, ad inferiora descendunt, et novorum pondere opprimuntur. Hoc grandi tristique oratione amplificat Oceanus.

> Vos qui furore absumpti et iræ morsu laesi,
> vestra clade torquemini et aerumnas fovetis,
> vestros claudite sensus, vestras avertite aures,
> namque non iras, ut folles, mea vox proflat.
> At vos, quicunque assentamini, me exaudite demonstrantem
> necesse vobis esse ut vos sponte vestra submittatis,
> et grande hoc in argumento solatium inesse,
> si solatium ex veritate capere potestis.
> Aequo naturæ cursu nos labimur, non robore
> fulminis Jovisve. Tu, o magne Saturne,
> immanem elementorum summam penitus scrutatus es;
> sed propter nullam aliam causam quam quod supremus eras,
> praeclusus tibi fuit unus ad scientiam aditus,
> per quem ego ad aeternam veritatem progressus sum.
> Ab initio, quemadmodum Deorum non fuisti primus,

---

1 Hesiodus. *Theogonia*, 736-746.

sic supremus non eris; hoc non fieri potest:
nec principium, nec fastigium rerum esse potes.
Ex Chao maternisque Tenebris orta est
Lux, primus ea fructus intestinorum certaminum
obscurique fermenti quod, ad mirabilia creanda,
in ipsius gremio maturescebat. Tempestivum venit tempus
Lucem inducens; et Lux procreans
ex quibus ipsa orta fuit, protinus
immanem rerum congeriem ad vitam excitavit.
Illis temporibus, nostri parentes,
Caelum Tellusque, prodierunt;
ex his tu natu maximus, nosque, Titania proles,
venimus nova et mirabilia regna moderantes.
Et hic dura adest veritas, dura quibus durum est
vera cognoscere; o dementia!
Nempe nudam ferre veritatem
et aequo animo circumstantia despicere,
hoc sane imperii culmen est! Erigite mentes!
Quemadmodum Caelum Tellusque praecellunt multoque supereminent
Chaos inertesque Tenebras, etsi suprema quondam hæc fuere;
quemadmodum Caelum Telluremque praecellimus,
forma, compacta pulcraque figura,
voluntate, libera agendi vi, societate,
innumerisque aliis purioris vitæ indiciis;
ita, nos a tergo sequitur aliquid novum et melius,
vis nova pulcritudine potentior, e nobis exorta,
quæ nos tantum superabit quantum nos
priscas Tenebras splendore superamus: nec magis ab ea
delemur quam fuit a nobis deletum, rex quondam,
informe Chaos. Respondete; num humus iners
superbas quas ipsa ex se aluit silvas increpat,
quas adhuc alit se ipsa formosiores?
Num virenteselioresque frondes negare tentat?
Num columbis invidet arbor
quod carmen integrant, albasque habent alas
quibus evolare et sua gaudia adire queunt?
Similes arboribus nemorum sumus; nostris e ramis
non quidem pallentes tristesque columbæ exsiluerunt,
sed auratæ pennas aquilæ, quæ sublimes feruntur
supra nos, et pulcriores sunt, quibusque imperium
propter hoc debetur; nam suprema lex est
ut pulcritudine praestantia potestate etiam praestent.
'mo, hac ipsa lege, fieri poterit ut alia proles nostros
victores ad eam reducat qua nunc obruimur desperationem.
Juvenem maris Deum num vidistis
meum debellatorem? Num ejus vultum adspexistis?
Num per spumam ejus currum intuiti estis
generosis vectum animalibus quæ ipse creavit?
Ego eum vidi tranquilla super aequora vectum,
et oculos tanto lucentem lumine
ut intellexerim mihi valedicendum esse
meo imperio; et maestus valedixi.

Postea huc veni visum quomodo lamentabili fato
commoveamini, et quomodo possim optime,
summa hac in maestitia, solatium vobis afferre.
Accipite veritatem et sit vobis veritas lenimen [1].

Longa hæc, quæ per argumentationem evolvitur et vergit ad philosophiam, oratio non sinit nos immemores esse illarum quæ antiquis in tragoediis grandibus argumentis explicantur et graviter disseruntur. Verba non indigna Deo sunt. Quod si non his versibus inest Aeschyli sublimitas roburque, at quædam inest altitudo et nobilitas, non procul ab Euripidis eloquentia distans.

Nullo in alio loco Keatsius sese clarius, haud dicam magnum, sed perfectum et consummnatum poetam praebuit, quam cum Apollinis ortum celebravit. Laetitia, quam juventute et lepore radians Deus suo adventu diffuderit, nunquam versibus magis juventute et lepore radiantibus expressa fuit.

Plutarchus enarrat vocem quamdam mirabilem mortuum esse Pana per aequora significavisse, quam audiverunt attoniti et perterriti nautæ. Tali modo, poeta fingit triumphalem quamdam vocem Apollinem esse natum clamavisse, et per maria laetum misisse nuntium, ita ut gaudium omnia mirum caperet. Hanc vocem exaudivit Clymene Gigantum soror, dum maesta fraterna clade stabat in margine maris.

In litore stabam, gratum litus erat,
quo dulcis afflabat aura recens ab oris
ubi quies, suavesque arborum florumque odores.
Ipsa maesta sed tranquilla eram ; illaque laeta loca
tam dulci replebantur tepidaque suavitate,
ut mihi in mentem cupido venerit
illius solitudinis increpandi ac turbandi pacem,
flebilibus modis et nostrarum aerumnarum cantu.
In litore resedi et, cava assumpta testa,
in eam querelas effundens, carmen modulabar.
Ah ! breve carmen ! nam cum cantando
indocta subsurda murmura voce
in aera profunderem, en, a florida margine
insulæ, medio in mari, ex adverso stantis,
en levibus auris suave adferebatur carmen,
quo replebantur meæ et sollicitabantur aures.
Testam in litus abjeci,
quam mersit fluctus, ut meas mergebat aures
ille novus, divinus, perfectusque cantus.
Cum modulaminis praeterveherentur undæ,
odiosas percipiebam delicias.
Gregatim allati leves laetique sonitus
singuli et communi tamen lapsu cadebant,

---

[1] *Hyperion*, II. 167-243.

ut cadunt rupto e torque margaritæ.
Nunc alii modi, nunc alii,
columbis pares ex olivæ fronde exsilientibus,
non silentibus labentes alis sed modulamina quatientes,
meum circumvolitabant caput, et me cruciabant
voluptate simul et dolore. Vicit maestitia,
jamque meas attonitas obturabam aures,
cum tremulas transmeans manus,
vox venit dulcissima, vox omni modulamine dulcior,
quæ etiam atque etiam clamabat « Apollo ! Juvenis Apollo !
Candidior oriente die Apollo ! Juvenis Apollo ! »
Aufugi sed me vox fugientem secuta est
Et clamabat « Apollo ! » [1]

Postquam Apollinem natum esse sic nuntiatum fuit, in insula Delo, juvenem Deum adspicimus. Nescio an, Graecis in litteris, ortus Dei, quem praeter omnes Graeci dilexerunt, suavioribus ac ditioribus coloribus unquam depictus fuerit. Haud est quin de prima Phoebi origine loquentibus Homerici hymni versus in memoriam redeant qui Delum nascenti Deo subito illuminatam proponunt :

Ὣς εἰπὼν ἐβίβασκεν ἐπὶ χθονὸς εὐρυοδείης
Φοῖβος ἀκερσεκόμης, ἑκατηβόλος· αἳ δ' ἄρα πᾶσαι
θάμβεον ἀθάναται· χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην·
γηθοσύνη, ὅτι μιν θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι
νήσων ἠπείρου τε, φίλησε δὲ κηρόθι μᾶλλον,
ἤνθησ', ὡς ὅτε τε ῥίον οὔρεος ἄνθεσιν ὕλης [2].

Non multum ab illis versibus abesse versus videntur, quibus novus poeta rursus Apollinem celebrat, Delumque laudat, quæ una ex insulis repulsam ab omnibus Latonam futurumque Deum receperit. « O Musa », poeta exclamat:

O Musa... religiose Delphicam percute lyram ;
dulciter afflantes omnes caeli auræ
concordia Doricæ tibiæ murmura adferent,
nam carminum pater celebratur.
Omnia rubescant quæ roseo tinguntur colore,
rosæ splendeant ardentes et aera inflamment ;
nubila quæ primam extremamque lucem adornant,
mollia quasi vellera, summis super collibus incumbant.
Purpureum ferveat in poculis vinum
exsilienti fonte frigidius, conchæque curvatæ,
sive per litora, seu in profondo sparsæ, puniceo suffundantur colore
per tortas involutiones, erubescantque puellæ

---

[1] *Hyperion*, II. 262-295.
[2] *Homericus Hymnus*, *in Apollinem*, 133-139.

quasi inopinato ardentique osculo tactæ.
O prima, inter saltuosas Cycladas, insula,
laetare, o Dele, per virides oleas,
populosque, per palmas prata adumbrantes, perque fagos
in quibus spirat dulcissime Zephyrus,
per densas corylos, quorum trunci sub umbra nigrantes videntur.
En iterum aureus cantatur Apollo ! [1]

Ipsum Deum tandem spectemus, primo in mane, per roscidam insulam euntem

Ambas liquerat Deus, matremque venustam
atque sororem sub frondibus dormientes,
et matutina sub luce errabat,
rivuli praeter vimina,
crurum tenus candidos per asteres vadens.
Finem cantus Philomela fecerat, paucæque stellæ
in caelo morabantur ; jamque turdus
tranquillum inceperat carmen. Tota in insula
Nullum erat dumetum, nulla spelunca,
quam non confusum maris murmur impleret,
licet multos virides per recessus vix audibile mearet [2].

Nonne lepida est illa imago adolescentis Dei, primo mane, per florida prata vagantis, dum fremit universa insula undique volitantium avium cantu et fugientium aquarum susurro, in circumfuso murmure ponti resonantibus. Non victor superbusque est Deus qui aureum tendens arcum aureis sagittis feras monstraque configit. At ephebus est adhuc et gracilis. Credas eum, ea ipsa die, cum arbori acclinis, repentem per stipem lacertam arridens spectaret, a Praxitele visum fuisse.

Non est quin animadvertamus paucioribus, tenuibus rebus ornari et onerari hanc picturam, et hac nova parcitate clariorem exsistere, superioribusque firmiorem picturis. Hic enim splendidi luxuriantesque colores quadam lucis suavitate et harmonia induuntur, et simplex concorsque nitor in diversæ magnificentiæ locum nonnunquam subit. Qua simplicitate et claritate Keatsium propius ad Graecam artem processisse novimus.

---

[1] *Hyperion*, III, 10-28.
[2] *Hyperion*. III. 31-41.

CAPUT V.

LAMIA. — CARMEN IN GRAECAM URNAM.

Ἡ λαμυρή μ' ἔτρωσε Φιλαίνιον· εἰ δὲ τὸ τραῦμα
μὴ σαφὲς, ἀλλ ὁ πόνος δύεται εἰς ὄνυχα.
Οἴχομ', Ἔρωτες, ὄλωλα, διοίχομαι· εἰς γὰρ ἑταίραν
νυστάζων ἐπέβην, ἠδ' ἔθιγον τἀΐδα.

Anthologia, v, 162.

καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέι καρῷ,
ἀμφῶες, νεοτευχές, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον·
τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός,
κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονιμένος· ἁ δὲ κατ' αὐτόν
καρπῷ ἕλιξ εἰλεῖται ἀγαλλομένα κροκόεντι.
ἔντοσθεν δὲ γυνά τι θεῶν δαίδαλμα τέτυκται,
ἀσκητὰ πέπλῳ τε καὶ ἄμπυκι· πὰρ δέ οἱ ἄνδρες
καλὸν έθειράζοντες άμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος
νεικείουσ' ἐπέεσσι· τὰ δ' οὐ φρενὸς ἅπτεται αὐτᾶς·
ἄλλοκα μὲν τῆνον ποτιδέρκεται ἄνδρα γελᾶσα,
ἄλλοκα δ' αὖ ποτὶ τὸν ῥιπτεῖ νόον. οἱ δ' ὑπ' ἔρωτος
δηθὰ κυλοιδιόωντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Theocritus, i.

Admirabile est Keatsium, eodem tempore quo poemati in quo requirebantur robur et magnitudo operam dabat, alterum perfecisse delicatissimis venustatis illecebris blandum, tanta fecunditate ut ambo intra unum annum, hoc autem intra duos menses scriptum fuerit. Inter cetera conspicuum hoc opus existimandum est, quod, ab antiquioribus fabulis, in quibus non homines sed Dii Deæque tantum agebant, ad humiliorem paullatim devenire regionem poeta videbatur, in qua mortalium vita degitur. Hac via verisimile est eum progressurum quoque fuisse ad vitæ picturam compressiorem, artioribus comprehensam modis et propius ad Graecam artem accedentem. Vestigia talis processus non nulla invenire est novo in libro, cujus origo et argumentum ita se habet.

In quarto Apollonii Vitæ libro, narrat Philostratus Apollonium, cum Corinthi maneret, inter discipulos Menippum quemdam Lycium habuisse, annos quinque et viginti natum, ingenio satis praestantem et corpore formosum. Menippus a peregrina muliere amari dicebatur quæ, pulcra specie, divitem sese esse dictitabat. Hanc in via quæ Cenchreas duxit, quadam die, obviam invenerat, quæ, dextra data, jamdiu se eum amare dixit,

esse autem Phoenissam natione et in suburbano Corinthio cujus addebat nomen habitare : « Quo si vespere, inquit, veneris, cantu te excipiam et vino quale nondum bibisti, neque rivalis ullus te turbabit, verum vivemus pulcra cum pulcro. » His victus juvenis, sub vesperam, ad eam accessit, et deinceps assidue eam frequentavit. Cujus amoris dulcedine et consuetudine mox captus est,

> Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
> Morigerisque modis, et munde corpore culto,
> Ut facile insuescat te secum degere vitam;
> Quod superest consuetudo concinnat amorem [1].

Quo amore permotus, Menippus eam connubio sibi jungere voluit et nuptias habuit paratas ; quæ cum jam instruerentur, adveniens Apollonius, postquam Menippum diu considerasset : « Tu quidem, inquit, qui pulcer es et a pulcris feminis optaris, colubram foves ac te colubra ».

Mirante autem Menippo, dicit eam quam diligebat non mulierem esse, sed mulieris simulacrum sumpsisse, et reipsa unam ex empusis esse quas lamias atque larvas appellant vulgo ; quæ quidem Veneris sed maxime carnium humanarum appetentes sunt, et rei venereæ illecebris inescant quos devorare cupiunt. Quæ cum dixisset, pocula aurea et quod argentum videbatur evanuerunt et ex oculis diffugerunt omnia. Ipsa autem femina, lacrimas simulans, ne se torquerent neve quae esset fateri cogerent orabat. Urgente vero Apollonio, confessa est se empusam esse et Menippum, ut corpore ejus vesceretur, voluptatibus saginare ; pulcris enim et juvenilibus corporibus pasci se solere, ut quæ sanguine essent integro.

Et locus et fabula Keatsii ingenio maxime apta erant. Nam Corinthi res agitur, in locupletissima et libidinosa urbe, magna statuarum multitudine celeberrima, adeo ut nocte advenientibus aereo marmoreoque habitari populo videatur. Minorum artium operibus, quæ ad corporis luxuriem et vitæ mollitiem magis quam ad animi honestatem et decus pertinent, opulentissima erat. Incredibilis illic tapetum, vasorum, pretiosæ supellectilis, vestium coacervatio; magnus auri, argenti, eboris, gemmarum tensaurus. Tanto in omnium rerum luxu molles et effeminati mores. Non virorum sed meretricium civitas erat et ἑταιρῶν collegium. Inter Atticam sobrietatem et Spartanam severitatem, fastum et Asiaticam pompam Corinthus ostentabat. Qua in materie, Keatsii poesis ornatissima et mollissima, nec non aliquoties fere meretricia, luxuriari poterat.

Adde quod non castam puramque puellam depingere debebat, quales tranquillo gressu, rectis vestibus, candido in Parthenopi marmore, incedunt graviter, dulces canephoræ; nec mulierem quidem Graeca

---

[1] Lucretius, IV. 1268-71.

elegantia et Graeco decore ornatam. Extraneæ potius meretricis imaginem Lamia refert, insolitis artibus mirisque illecebris potentis, cujus ipsa forma non certa in figura comprehendebatur, sed per variabilia blandimenta fluebat, continua novitate amantem alliciebat, ut satiaret nunquam, at illi semper : « pabula amoris » [1] variare videretur. Qua mobilitate et tremula venustate Keatsii poesis delectabatur, ipsa voluptatis flamma exardescens.

Fatendum est tamen Corinthias opes poematis magnificentia etiam superari. Nempe Corinthus Graeca civitas permanserat, et etsi nimia abundantia et confusa profusione pretiosas res congerebat, illæ tamen patriam servabant elegantiam claritatemque, utpote e manibus Graecis exortæ. Unam ex urbibus ab Alexandro vel conditis vel domitis, ubi Persicæ pompæ Graeca ars miscebatur, et simulacra simplici forma ornata in nimia auri purpuræque profusione stabant, ut barbara in aula advenæ, verius depinxisse Keatsium dicas; verissime autem civitatum unam eum, ruente ad corruptionem imperio Romano, talibus superadditus fuit Romanus fastus ; cum impatiens modi superbia et nescia obstantium potestas, quæ vix fieri possent requisiverunt, et difficillima quaerere et perficere divitiarum partem existimaverunt.

Etenim in poemate longa est domus descriptio quam Lamia, non humanis manibus sed magicis artibus aedificavit, non a corporeis servis sed ab invisis famulis circumdata, ut sponte sua res surgere viderentur. Nihil lautius, nihil magnificentius esse potest. En porticus :

Advenerunt ante
columnatam porticum, altis foribus patentem,
lampas in qua pendebat argentea, cujus lux
marmoreis in gradibus relucebat,
ut in aqua dulce relucet stella ; namque tam recens
tam purus erat marmorei pavimenti nitor,
cujus per vitreas laevesque partes tam claræ et tenues
currebant nigræ venæ, ut divinis tantummodo pedibus
libatum fuisse videretur. Aeolii sonitus
orti sunt e cardinibus, cum sese pandentes
largæ fores interiora loca ostenderunt [2].

Fulgebat cenatorium splendidum altisque gracile fornicibus.
Tantum fulciri alta tecta videbantur
diffusa musica omnibusque ex partibus ingementi,
Quasi timeretur ne, exstructa incantatione, fabrica evanesceret.
Simulabatur e cedro curiose cavata trichilium
palmarum plantaginumque, ex utraque parte convenientium
in summa mediaque fornice, in honorem sponsæ :

---

[1] Lucretius. IV. 1051.

[2] *Lamia*, I. 378-386.

Duæ palmæ duæque plantagines, ex ordine alternantes,
ex utraque parte aliæ aliis invicem ramos protendebant,
extremas usque ad sedes. Simulatis sub frondibus,
pendebat continuus lampadum ordo
Tali sub tecto struebantur epulæ
suaves exspirantes odores. Regia in veste Lamia
invisos jubebat servos adornare
omnes angulos omnesque decoras zothecas.
In intervallis arborum, marmoreis parietibus
ex iaspide laquearia apponuntur, per quæ subito ramescunt
gracili viridia fronde reptantque
proceriores arbores innumeris levibus spiris amplectentia [1].

Ditissimo fulgore cenatorium refulgens
luminibus odoribusque undique sparsis redundabat :
singula adversus lucida laquearia, stabat fumans
acerra myrrha et fragranti ligno instructa,
sacro tripodi imposita.
cujus deflectentes graciles pedes mollibus innitebantur
et lanosis tapetis ; fumi quinquaginta undantes,
e quinquaginta acerris, aerio ascensu evolabant
ad sublime tectum, quorum exsurgentium imagines,
ut nubeculæ odoriferæ, politis in parietibus duplicabantur.
Duodenæ rotundæ mensæ sericis sedilibus cinctæ,
ad humani pectoris altitudinem suffultæ
pardorum pedibus, sustinebant e solido auro
pocula et calices, et dona quæ pleno
Ceres cornu effundit. Vinum vastis in amphoris
laeto colore ridens e nigris doliis adferebatur.
Talibus epulis struebantur mensæ,
quarum in media quaque stabat cujusdam Dei statua [2].

Serta cunctis e plantis nexa, omnesque spirantia odores
e lectis vallium floribus, ex avulsis nemorum frondibus facta,
calathis in aureis viminalia imitantibus
et ad summum refertis, adferebantur ; út hospitum quisque
quam potissimam haberet coronam legere posset,
et gratis frontem floribus vincire, sericis pulvinis molliter incumbens [3].

Nonne hæc scripta fuisse dicas a poeta qui, Apulaei expolitam amoenitatem, ornatissimam elegantiam, lautam ubertatem, elaboratam concinnitatem nec non fucum imitatus, exsuperaverit? Nobis enim illam descriptionem legentibus in mentem redit domus regia, quam timida Psyche intravit, in qua summa laquearia citro et ebore curiose cavata subibant aureæ columnæ, argenteo caelamine parietes omnes contegebantur, pavimenta ipsa pretiosis lapidibus in varia picturæ genera discrimina-

[1] *Lamia*, II. 121-141.
[2] *Lamia*, II. 173-190
[3] *Lamia*, II. 215-220.

bantur, omnesque parietes massis aureis coruscabant, ut diem suum sibi domus faceret, licet sole nolenti [1]. Illic quoque volitabant famulæ voces. Tantummodo deerant lampades. Lamiæ domus Amoris regiæ non inferior est.

Ipsius autem Lamiæ venustatem quam levibus, vivis, lucidis, rutilis, variis, mutabilibus coloribus depinxerit non nobis exprimendi spes est. Fugientia blandimenta, et quibus hæc suprema vis est semper evanescentia videri, ut majore impetu petantur et potiundi ardor amittendi formidine exasperetur, per omnes fugæ flexus et deverticula tam flexibilibus rapidisque verbis persequitur et assequitur poeta, ut multicolores, versicolores versus incredibili mobilitate et continua novitate colorum irradientur. Latinis talia verbis imitari non licet. Quanquam enim nobis superiores paginas scribentibus saepissime occurrit Senecæ dictum: « Quanta verborum nobis paupertas immo egestas sit, nunquam magis quam hodierno die intellexi » [2], nunquam magis quam in hac pagina « hodiernus dies » fuit. Quid, cum ponderosum et inhabile instrumentum in rudi et debili manu est?

Fortasse potuisset ille nervosissimus et sollertissimus Latinorum verborum tractator, qui dura vocabula adeo domuit ut ea ignotis nitere coloribus coegerit et ferreum sermonem splendore donaverit, ut asperum Vergilius suavitate, Lucretius scilicet, qui talia scripsit:

> Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
> Quæ sita cervices circum collumque coronat:
> Namque alias fit uti rubro sit clara pyropo,
> Interdum quodam sensu fit uti videatur
> Inter coralium virides miscere zmaragdos;
> Caudaque pavonis, larga cum luce repleta est,
> Consimili mutat ratione obversa colores [3].

Romanis solus verbis illam subtilitatem, et varietatem, et mobilitatem colorum retinere potuisset. Inviti rem tentare cogimur; diffidentes tentamus. Nostris verbis reddentur poetæ versus, ut tardo insequentis venatoris conatu indicatur aeria volucrum fuga.

En Lamiæ pictura dum adhuc serpens est et sua venustate foedum corpus illuminat; colubra est gemmis pretiosior et splendidior

> Nexibus voluta figura erat, splendida ac clara,
> minio, auro, glauco, caeruleo maculosa,
> ut equus zebra striata, ut pardus guttata,
> pavonum oculis purpureisque lineis sparsa,
> variata argenteis lunulis quæ, cum respiraret,
> evanescebant, exardescebant, vel sua lumina

---

1 Apuleius. *Metamorphoses*, lib. v.
2 Seneca. *Epistulæ ad Lucilium*, LVIII
3 Lucretius. II, 801, 7.

fuscioribus implicabant coloribus.
Sic Iridis coloribus picta, et percussa tristitie,
quidam videbatur castigatus esse muliebris spiritus,
vel daemonis amica, vel ipse daemon;
tremulam flammis cristam ferebat
et, ut Ariadnæ diadema, stellis ornatam [2].

Et cum ex serpente in mulierem, magno cum dolore et magnis cum cruciatibus, mutatur Lamia, quid subtilius et locupletius?

Illa ore fundit spumam, qua conspersæ herbæ
marcescebant, dulci hoc ardentique rore adustæ;
rigentes cruciatu et crudeli angore oculi,
ardentes, vitrei, intenti, pilis exustis orbati,
fulgore acutisque flammis micabant, lacrimarum rore expertes.
Ardescentibus omnibus per corpus sparsis coloribus,
nexibus torquebatur, ardenti angore quassata.
Fuscus sulphureus color in locum subivit
coruscarum lunularum quibus corpus decorabatur,
et sicut flammis effusis consumuntur prata,
sic eo colore hauritur argentea lorica, aurea ornamenta,
obscurantur maculæ, striæ, lineæ,
deficiunt lunulæ, evanescunt stellæ,
ita ut, temporis momento, nudata sit
cunctis sapphiris, smaragdis, amethystis
clarisque pyropis. Quibus exemptis,
nihil nisi maestum et foedum relictum est;
adhuc fulgebat diadema, sed eo evanescente
ipsa subito tabefacta evanuit serpens [3].

Talibus tormentis e serpente evasit pulcerrima mulier « toto jactans e corpore amorem. »

Quæ quam blanditiarum amorisque sollers exstiterit; quantis amantem illecebris pellexerit; quam docta fuerit bracchia cum multa prece tendere, sese collo implicare, amicum teneris retinere lacertis, blandique sermonis delectare obsequio, et mollem quietem spirare; quam molliter effuderit dulcia verba et, Apuleius ait, suasoria suavia [3]; quanta sollertia hoc aliquid amarum de fonte leporum amovere potuerit, ut amanti nil nisi puram voluptatem effunderet, non nos exprimere tentabimus. Rudibus non licet rastellis delicatos colligere flores.

In hac opulenta et, ut antea diximus, ad meretricium blandimentum inclinante mollitie, non nulla intersunt firma, claraque, nec Graecis poetis indigna. Nonne hi versus digni sunt qui apud Theocritum legantur? Dicitur quomodo Lamia Lycium primum viderit et amaverit.

---

1 *Lamia*, I, 47-58.
2 *Lamia*, I, 148-166.
3 Apuleius. *Metamorphoses*, lib. V.

Eum illa, quadam die dum praeteribat, adspexerat
in cogitatione defixum, columnæ acclinem
sub Veneris templi pronao, aggestos prope calathos
florum herbarumque suavium, qui illa ipsa nocte
collecti fuerant, nam pridiana nox erat
Adoniarum [1]

Quam facile, ista legens, fingo saepe evenisse ut Graeca puella amore capta fuerit juvenis, quem per gradus, vel sub columnis templi, stantem iter faciens aspexerat, quanquam cupiebat videri non aspexisse. Haec vere Graecæ vitæ particula est.

Hac quoque Corinthi nocturna descriptione quid verius, quid in simplicitate solidius, quid magis inanibus ornamentis expeditum et sola rei imagine valens?

Ut mussitant in somniis homines, sic urbs Corinthus,
per cunctas regales domos,
per frequentes vias et impudica templa,
murmur fundebat, non longinquæ dissimile procellæ,
quod, per vastam noctem urbis supra turres jacentem, surgebat.
Viri, mulieres, divites, pauperes, frigidioribus horis,
per alba pavimenta soleas trahebant,
sive comitati, seu sollivagi; illorum lumina multa
hinc, illinc, ditibus e conviviis effulgentia,
per muros spargebant mobiles umbras;
vel ipsos illuminabant, glomeratos in umbra, quæ
a coronis in curvatam templi januam cadebat,
vel sub obscuro peristylio congregatos [2].

Nec talia tantum singula loca hic, illic, apparent clariora; sed etiam ipsi poemati aliquid inest Graecæ arti magis congruens. Non est enim quin ambo legentibus occurrat Keatsii poema et Philostrati narrationem inter se differre. Apud Philostratum, Lamia foedum et crudele monstrum est, adulescentium sanguinis carnisque vorax quod, ad horrendam satiandam ingluviem, Amoris illecebris utitur et morsus per suavia parat. Quare Apollonio applaudimus, venusta sub femina, turpem beluam detegenti, et discipulum, non ab avido amore, sed a cruenta morte eripienti. Quæ infanda non Graecæ humanitatis sed Asiaticæ ferocitatis nos memores esse cogunt. Quorum, apud Keatsium, nihil est. Turpem enim et obscenam amovit imaginem, qua foedaretur quam praeter cuncta affectabat venustas. Lamia, non hæc lamia est quæ juvenes puerosque vorat,

neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo [3]

---

[1] *Lamia*, I, 315-20.

[2] *Lamia*, I, 350-61.

[3] Horatius. *Ars poetica*, v. 340.

Formosa et misera tantummodo saga est, vel potius mulier quæ crudeli incantamento intra serpentis effigiem clausa fuit, ex qua evadere non potest. Adeo formosa est ut ejus venustatem non ipsum turpis serpentis corpus obscurare queat, sed ab ea quasi interiore nitore illuminatum resplendeat, et inclusum leporem detegat. Non crudelis est mulier sed perdite amat. Juvenem vidit, formosumque corpus cujus cupidine exardet. Quanto aestu, quanto angore, quantis et quam ardentibus flammis torqueatur serpentiformi in carcere cohibita, et formosæ puellae desideria non eloquentiam habens, forsan cogitatione assequemur, si nobis finxerimus quanta maestitia, duro obscuroque sub chrysalidis cortice inclusus, papilio aerios appetat volatus et rosæ societatem. Dum talibus contristabatur aerumnis, Hermes advenit, invisibilem Nympham quaerens cujus tunc cupidine tenebatur, neque eam invenire quibat. Quomodo frustra quaesitam reperiat et aere leviorem in amplexu comprehendat, Deum Lamia docet. Meriti vero mercedem rogat ut Deus eam a serpentis figura liberatam in pristinam mulieris formam traducat. Concedit Hermes, serpentemque caduceo molliter tangit. Pulcerrima exsurgit femina quæ amatum juvenem pellicere possit. Non illius carne sed amore satiari cupit. Eum perditissime amatum perditissime amata suavissimis blanditiis detinet. Fortasse Lycii philosophia, non vita periclitatur. Non serpens est in femina abditus, sed femina quæ e serpente evasit. Quare cum Apollonius, inexorabili severitate, eam a felicitate et voluptate rapit et in serpentis formam rursus redigit, eum crudelem durumque nimis existimamus, tum pulcræ mulieris miseratione capimur, quæ ab amore avulsa in sollitudine rursus includitur. Ita ut omnia cruenta foedaque abjiciens Keatsius nihil nisi pulcra decoraque retinuerit et, Graecorum more, crudelitatem venustate ornaverit.

Infectum aliquid profecto relinquamus nisi brevium carminum quæ in posteriore vitæ parte Keatsius scripsit mentionem faciamus. Nusquam propius ad Graecæ artis pulcritudinem et perfectam claritatem accessit, quasi ipsa carminis brevitas ingenii nimiam ubertatem, intra certos modos, compresserit et solidaverit. Inter quæ pulcerrimum carmen est, quod ad Graecam urnam scripsit, quam assuetis in Britannico Museo contemplationibus admiratus erat. Circa urnam effinguntur ex marmore juvenes, puellæque, pompaque ad sacrificium juvencam ducens. Eam immobilem immortalemque juventutem contemplatus erat; tam diu prospexerat ut illius ante oculos moverentur et spirare, vivere, agere, amare, cantare, progredi viderentur. Eos interrogat poeta. Qui fuerint? Qua in urbe, Quo in vico vixerint? Nunquamne ad domos mane relictas revertentur? Illi muti remanent, in ea quæ agunt, in ea quæ per duo millia annorum egerunt εἰς ἀεὶ intenti. Tibiam inflat cantor, oscula usque prosequitur amans, victimam ducit sacerdos. Nullum veniet responsum; urna silet.

Quæ taciturnitas hoc tantum eloqui videtur: « Uni pulcro inesse aliquid veri ». Sed quomodo venustos et graciles versus quibus ea exprimuntur reddemus? Quomodo laeve nitensque marmor crassa hebetique argilla imitabimur?

Quæ tuam figuram, foliis praetexta, circumcurrit fabula?
An caelestium, mortaliumve, vel amborum est?
Num in Tempe, vel Arcadiæ in vallibus, olim peracta?
Qui homines, qui Dii isti sunt? Quæ istæ timidæ puellæ?
Qui eas persequentes? Eæ cur fugere nituntur?
Quæ istæ tibiæ, ista tympana? Quæ ista alacris agitatio?

Dulces sunt exauditi modi; quos putamus audire
dulciores sunt; quare, o molles tibiæ, inauditos pergite modos;
suavius, non corporeis auribus, sed
nostræ menti mutum dicite cantum.
O formose puer, qui sub arboribus cantas, nunquam cessabis
inflare tibias; nunquam isti nudabuntur foliis arbores;
et tu, impatiens o amans, nunquam, nunquam eam osculaberis,
quamvis osculaturus usque; ah! ne doleas tamen,
a te saltem amata nunquam evanescet, et quamvis nunquam ea potiturus
semper amabis eam, formosa semper erit.

Ah! felices, felices rami! nunquam deponetis
folia; ver nunquam vos deseret!
Ah! felix cantor! nunquam lassatus
novum semper cantum cantabis.
O feliciores amantes, quorum fortunata praeter omnes cupido
semper ardens, nunquam satiata,
semper avens, semper virescens,
omnes multo praecellit humanas cupidines,
quæ pectus linquunt triste exhaustumque,
fervidam frontem et arida labra.

Qui sunt isti ad sacrificium progredientes?
Quod ad viride altare, o ignote sacerdos,
istam ducis juvencam ad caelum mugientem,
et nitida latera sertis ornatam?
Quæ parva urbs, ad fluvii vel ad maris litus jacens,
vel super monte structa, et placida munita arce,
ab omnibus incolis, ista sacra luce, deserta est?
Ah! parvula urbs! viæ semper tuæ
silentes manebunt, nunquam ex istis unus
ad te redibit dicturus cur deserta maneas.

O attica forma! pulcra effigies! cohorte
marmoreorum juvenum virginumque decorata,
et silvestribus ramis calcatisque herbis!
O taciturna figura! nos ultra suetas cogitationes ducis,
ut quæ aeterna maneant! Idyllium immotum!
Cum nostra senectute marcescet aetas,

tu stabis, per futuros maerores
qui nostris succedent; tu hominibus grata eris quibus dicis:
« Pulcrum verum est, verum pulcrum est »; nihil aliud
cognoscitis, mortales, nihil aliud cognoscere opus est [1].

Nullo in tempore, nullo a scriptore, verius expressum fuit quod sentimus, cum ad antiquæ artis opus spectamus, aliquid subtile et multiplex, nescio quæ laetitiæ maestitiæque, admirationis et desiderii mixtura, ex hoc orta quod semel creatum sed nunquam rursus creandum aliquid perfectum videmus. Ex ipsa delectatione nescio quam amaritudinem surgentem sentimus, et tam formosorum corporum venustas tristitiem gignit quod deleta sunt. Quibus rebus miscetur quidam immortalitatis sensus, consolatio quædam quod, dum labuntur nostræ vitæ, aeterna juventute florentia quædam permanent: stabilis praetereuntibus hominibus dulcedo. Quæ quam graviter, quam sublimiter, quam suavi maestitia, et, quod ad illius ingenii progressum magis pertinet, quanta simplicitate, quanta dignitate verborum, quam paucis et selectis imaginibus reddiderit Keatsius, haud facile dicere possumus. In poemate antiqua pulcritudine referto, antiquæ pulcritudinis desiderium expressit, ut, in amantis corde, formosæ amicæ desiderium imago est.

Illis per se stantibus poematibus et omnino ad antiquorum imaginem effictis, antiqua multa addenda sunt, per alia poemata sparsa: imagines, translationes, exempla, illustrationes, omnis generis lumina, quæ a Graecis fabulis moribusve ducta, recentiores cogitationes decorant; veluti nonnunquam recentiorum aedificiorum muros inserta insigniunt antiqua fragmenta. Multa talia, si quis in eam rem laborem insumpserit, e Keatsii operibus excerpenda sint. Verum ut hæc quæ dicimus fragmenta, si e structuris avulseris, fracta, inconnexa et mutila videntur totumque ex aedificio decus inutiliter abripiunt; sic ea loca, non abducta sed in quo posita situ fuerunt, et cum utilitate et venustate quas reliquo operi contulerunt, considerari debent. Nihil novi nos de Keatsii ingenio docere queant, nisi eum in omnes operum partes veterum admirationem et recordationem attulisse.

---

[1] *Ode on a Grecian Urn.*

CAPUT VI.

E contemptibus exit,
Inque dies magis adpetitur, floretque repertum
Laudibus et miro est mortales inter honore.

LUCRETIUS, V, 1275.

At mihi quod vivo detraxerit invida turba
Post obitum duplici fœnore reddet Honos;
Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exsequiis nomen in ora venit.

PROPERTIUS, III, 1.

Perspicuum est Keatsii ingenium intra certos contineri fines, nec poeseos latissima spatia, altissimave cacumina occupare. Non ei concessum fuit rerum cognoscere causas, nec pro rerum majestate carmina condere, et de summa caeli ratione Deorumque disserere, et habitare edita doctrina sapientium templa serena. Non arma virosque cantare potuit, strepitumque bellorum aeratasque militum cohortes, ac regum populorumque majestatem et ruinam. Nequaquam acutus humani animi pictor fuit; non perturbationes, non gaudia, odia, maerores, non cupidinis virtutisque eodem in corde inter se certantium conflictus, non contentiones hominum quibus alitur tragoedia, depingendi peritus fuit. Non de laborantibus, de dolentibus, de humilibus pauperibusque commiserationem habuit: hominum rerumque lacrimas ignoravit.

Amorem ipsum, quem cantavit, non totum cantavit; amoris ardorem deliciasque et lascivam venustatem expressit; non amoris dulcedinem tristitiamque. Alii osculationum segetem lepidius numeraverunt et tenerius cupidinem dixerunt

quæ dulcem curis miscet amaritiem; [1]

---

[1] Catullus. LXVIII. *Ad Manium Allium.*

alii flebilius amicæ crudelitatem vel perfidiam lamentati sunt, alii saevius acerbiusque amoris angores, excruciatus, vulnera sunt exsecrati. Unum ex Burnsii carminibus plus flammæ, plus tormenti habet, quam longa Keatsii poemata. In illis saucii animi suspiria exhalantur; in his blanditiarum pictura lascivit. Non Keatsio tempus fuit ut is amor, quo excruciata sunt extrema ejus vitæ tempora, ad poesim perveniret. Multa ei defuisse satis clarum est, vel propter vitæ brevitatem, vel propter ingenii terminos.

Unum vero praeter omnes poetas habuit: incredibilem pulcrum percipiendi facultatem, quæ ampla spatiosaque, ac simul acuta et sagax, spectacula ingentia amplecti vel abdita et tenuissima distinguere poterat. Mira oculorum auriumque acies, qua fugacissimos colorum et murmurum motus percipiebat, ut apud illum rerum admiratio in latiore, ut ita dicam, orbe versaretur. Non ei magna erat veri cura, quæ res non sola ex pulcritudine constare ostendit; non magna mali vel commiseratio, vel damnatio, quæ nostris contemplationibus vel amaritiem, vel indignationem miscent, et nos aut maestos aut iratos faciunt. Nulla re turbatus, in possessione et voluptate pulcri gaudebat, exultabatque. Ex hoc fiebat ut nulla alia nisi pulcra, quasi ex inexhausto tensauro, haurire posset; quibus splendidissimas componebat et aedificabat structuras, quarum conspectu ineffabili intra se voluptate delectabatur. Ita ditissimam, cunctis coloribus coruscantem, innumeris ornamentis fulgentem poesim effecit. Non idem pulcrum quod Graeci, sed pulcrum eodem amore petivit. In Graecas fabulas, veluti in idonea vasa, suas effudit inexhaustas inventiones. Non magna in illius operibus humanitas est, sed singularis splendor, quo inter omnes Britannicos poetas eminet.

Propterea, Spenserio, Miltonique persaepe Keatsius comparatus est. Ad illum multo propius quam ad hunc, nostra quidem sententia, accedit. Trium poetarum ampla, copiosa, gravis, ornataque poesis; non nervosis brevibusque sententiis quasi ictibus animum ferit; sed longis verborum continuationibus, quasi fluctu, aufert provehitque. Sed Miltonis sententiæ, magis implicata structura compositæ, graviore gradu incedunt, quamdam oratoriam majestatem, quamdam laboriosam severitatem et austeritatem ferentes. Spenserii Keatsiique sententiis multo major facilitas et fluiditas; non exstruuntur sed profunduntur. Sed Spenserii agilior facilitas, Keatsii languidior est. Non nunquam Spenserii sententiis gaudium quoddam inest et alacris voluptas. Frequentissime in eis inveniuntur

gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori [1]

---

[1] Horatius. *Od.* I, 1.

quæ saltatio nescio quam levitatem sententiis impertit, ut multis de strophis dicere posses

saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus [1].

Non illa Keatsio mobilitas est. Tardiore gressu illius incedunt sententiæ. Non silvestres lascivæque Nymphæ sunt Dianam comitantes, sed voluptuariæ mollitiisque fluentes Veneris sacerdotes.

Quod si ad versuum modum numerumque respicimus, et qua modulatione praeterlabantur consideramus, quæ sint inter illorum poetarum Keatsiique versus cognatio et differentia haud difficile percipiemus. Spenserii versibus inest mollities et dulcedo; verba facili et naturali cursu defluunt, nullum strepitum, nullum stridorem cientes. Quamvis abundanti copia effundantur, tam liquido lapsu, tam levi declivitate currunt, ut ne collisus quidem cognoscant, quibus et ipsi fluctus non numquam conflictantur. Eligendus si mihi locus esset ubi Spenserii carmina viva voce recitarentur, limpido flumini adsiderem plenis ripis decurrenti, ut convenirent levia aquæ murmura levesque poetæ versus. Miltonis versus longe aliter resonant. Robur grandemque habent vocem; non uno tenore defluunt sed surgunt et submittuntur diversis flexionibus, quamvis evolvantur semper cum quadam numeri majestate et amplitudine. Clangor eis est et fragor; gravi nonnunquam strepitu reboant. Non veluti rapidi fluminis fluctus pari cursu alii alios sequuntur, sed inter se confligentes ad caelum exsiliunt. Prope multisonum magnisonumque pontum, cum vasti fluctus volvuntur ad litora et sublime aliquid videntur clamare, mihi sublimia legantur Miltonis carmina. Non Miltonis sed Spenserii sonum Keatsii versus referunt. Majore tantum suavitate et languore profunduntur, mollius labuntur. Ad limpidi lacus marginem, cum omnes ventosi murmuris ceciderunt auræ, ubi irrigant violaria aquæ, ubi sunt

humida saxa super viridi stillantia musco [2]

ubi

muscosi fontes et somno mollior herba [3]

carmina spirentur Keatsii et, dulci in silentio, dulcia veluti suspiria, effluant et disperdantur.

Praeter id, alia res est, qua Keatsius ad Spenserium propius quam ad Miltonem accedit. Omnia enim ex quibus Spenserii versus componuntur verba, ad perficiendum versum pari nisu adjuvant; quorum unumquod-

---

1 Vergilius. *Bucol.* v. 73.

2 Lucretius. v. 948.

3 Vergilius. *Bucol.* VII. 45.

que aequo, ut ita dicam, labore contendit, aequo auxilio subvenit, aequa vi prodest. Communem afferunt utilitatem, ut versus legenti haud pote sit, in verborum serie, unum clarius, vel audacius, vel ornatius distinguere, tanto consensu et disciplina in unum conspirant. Ea libenter conferres remigibus, quorum universo molimine parique impulsu provolat navis. Quam dissimilis apud Miltonem singulorum verborum et vis et actio ! Etenim, si illius versus legis, haud est quin quædam discernas verba, quæ inter cetera eminent conspicua. Hæc totum dominantur versum, regunt, stimulant, hortantur, sua luce illustrant, sua vi rapiunt, sua majestate commendant, suo splendore decorant. Verba sunt, ut ita dicam, efficacia, per quæ imprimis viget, agit, lucet versus. Ea ceterorum verborum duces esse videntur, fulgentioribus armis, in prima acie, egregia ; quæ si abstuleris, totum debilitabitur et minuetur agmen. Nec difficile est eas nobiliores notare voces, quæ propria vi versum vel fulciunt, vel elevant. Etsi Keatsius non tantam quantam Spenserius verborum aequalitatem habet, et aliquoties apud eum non robur nec majestatem, sed potius venustatem et blanditias, a quibusdam verbis, versus assumit ; attamen uno eodemque gressu paria fere labuntur verba, eaque progredientibus juvenibus conferres, inter quos, si quis pulcriore vultu et concinniore corpore formosior incedit, omnes tamen inter se aequales, et aetate, colore ac lepore consimiles praetereunt.

Forsan non accurate respicientibus animo occurrat aliquam esse inter Keatsium nostrumque Andream Chenierum similitudinem. Cujus opinionis causa esse potest quod ambo antiqua poemata scripserunt, magno Antiquitatis cultu capti ; et inter amborum vitas immatura morte interruptas quædam reipsa inest similitudo. Communis utrumque sequitur miseratio. Sed idem de illis sentire facilius est quam judicare. Nam quod ad ingenium pertinet, nihil fere est quo non inter se differant. Andreæ Cheniero magna antiquorum scriptorum familiaritas et scientia , ut ex eis verba, sententias, imagines continuo excerpta in suos libros transferat, ut illius poemata nonnunquam Graecis lapillis tessellata diceres,

Quam lepide λέξεις compostæ, ut tesserulæ, omnes
Endo pavimento atque emblemate vermiculato [1].

Restituere magis quam construere videtur. Keatsio autem modicum cum antiquis scriptoribus commercium, quorum opera ita legebat non ut singula quæque cognosceret sed ut mentem intellegeret. Ad hanc lectionem suas imagines, sententias, verba effingebat ; non ex hac lectione trahebat. Prior ex collectis Graecorum marmorum fragmentis

---

[1] M. T. Cicero, *Orator*, XLV.

aediculam componebat ; alter ad Graecorum templorum imaginem propria ex materia aedificium grande exstruere tentabat ; primus Lysiæ monumentum de visu refecit ; alter Ephesi templum ex sua conjectura aedificavit.

Adde quod Andreas noster cottidianam vitam et humiles mores, amores, maerores, familiariter etsi graviter et eleganter, depingit. Idyllia scribit : ex Homeri paupertate longoque itinere idyllium ducit et Theocritum magistrum sequitur. Ad epica lyricaque, imo ad ea quæ in epicis gravissima, in lyricis altissima sunt, se Keatsius convertit ; Hesiodum et poetas qui Homericos hymnos composuerunt assectatur ; et si qui fuissent antiquiores et qui initia rerum et immania Deorum heroumque facta sublimiore etiam obscuritate cantavissent, eos potissimum assectatus esset. Denique Andreas necessaria tantum, in quam lucidissimo ordine, disponens, brevitatem siccamque perfectionem appetivit et assecutus est ; Keatsius autem abundantiam luxuriosumque splendorem, inexhausta in inexplebilem varietatem ornamenta effundens. Ille perfecta sollertia insignior fuit ; hic locupletissima inventione. Andream libenter conferrem non Atheniensi adolescenti, namque, ut eum Athenis viventem fingamus, aliquid expediti, quædam spontanea facilitas, nescio quod creandi gaudium et plenior succus desunt, sed posteriorum temporum adulescenti cuidam, qui Atticæ sobrietatis amore captus, eam imitatus esset. In dulcis Ioniæ urbe, ubi Graecam religionem Asiaticæ pompæ onerabant et Asiatica mysteria obscurabant, Keatsium juvenem fingerem fuisse sacerdotem, longis vestibus indutum, mollia carmina molliore voce cantantem et laudes Adonidis. Hunc illa Ciceronis ditissima sententia depictum crederem « uti citharoedus cum prodierit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, et cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenentem exornatissimam, aure et ebore distinctam » [1].

Si e nostris juvenem scriptorem eligere quis cupit quem Keatsio conferat, Mauricium Guerinum potius designet. Praeter id quod amborum juvenum simillimæ anxietatibus, tristitia et brevitate vitæ fuerunt, aliquot erant inter ingenia affinitates. Ambo ad ingentia et sublimia attrahebantur ; antiquas fabulas consectantes, in Deorum heroumque societate potius quam in hominum versabantur. A Mauricio enim Glauci vitreas sedes et Bacchidis querelas celebratas esse novimus, quæ a Keatsio quoque celebratæ fuerunt ; et Keatsium contra facile fingimus narrantem Centauri feram infantiam, indomitam juventutem, effrenatos per lacus montesque cursus et maerentem senectutem.

Sed Mauricio multa deerant Keatsii munerum, splendor, divitiæque ; non pulcri admirationem, non solis et caerulei caeli amorem habebat.

---

[1] M. T. Cicero. *Rhetorica ad Herennium*, IV. XLVII.

Non eum Graecum fuisse dicas, sed juvenem Celtam in regionibus natum ubi semper hiems est, ubi

> sol pallentes haud unquam discutit umbras [1].

Ille septentrionalis caeli obscuritatem in oculis, et natalis terræ tristititiam in mente servavit, ita ut Helladis claræ et lactæ fabulæ in illius versibus pallescant et evanescant;

> qualem primo qui surgere mense
> aut videt aut vidisse putat per nubila lunam [2].

Itaque etsi celsa et nobilia sunt, quantum a Keatsii poematibus fulgentibus ardentibusque absunt illa nocturna vestita luce poemata, et quæ, in Elysaeis campis, recordatione narrari, non sub solis radiis actione agi videntur.

Haud quidem justum est Keatsii immaturum et interruptum opus Graecis conferre templis, quæ perfecta omnium partium congruentia lucent, in qua manifestum est architectum materia usum esse, non materiam acervasse, et dispositorem non collectorem fuisse, lineamentaque cogitavisse non congeriem. Non Keatsii operibus illa perfectio concessa fuit. Ea rectius conferas aedificiis barbaris manibus ad Graecorum imitationem erectis, quorum aggeres ruinasque viatores non nunquam inveniunt. Immensa sunt, nimia ornamentorum copia abscondita: nullæ lineæ, non uniuscujusque partis statio, non universarum partium consensus, nulla totius structuræ forma apparet. Divitiarum mera est congeries. Sed si hæc vitia praetermittere haud recusas, neque oblivisceris prima in juventute, cum discipulus non magister esset, morte interruptum fuisse architectum, et solis omnium hominum Graecis tantam perfectionem tributam fuisse, forsan tunc non nulla invenies quæ admiratione digna videantur. Hic pulcra laudabitur columna audaci trunco exsiliens et elegante capite coronata, illic sublime et magnificum fastigium, multa anaglypta, plinthi, arcus, omni ex parte aliquid tentatum. Sic in animo orietur tristis quædam admiratio illius prope adhuc adulescentuli, qui, perfectum etsi non assecutus est, tamen pulcra perfecit et divinam Graecorum artem coluit et, quantum in se et in suo tempore erat, rursus creavit.

Nobis autem hunc libellum scribentibus non spes fuit fore ut rudibus hisce paginis splendidum, et multiplex, et mobile ingenium comprehendere

---

[1] Vergilius. *Georg.* III. 357

[2] Vergilius. *Æneis*, VI. 454

possemus. Non illius operi par, neque illius gloria dignum monumentum aedificare et dedicare nobis visi sumus. Nostra tantum modesta munera et quasi inferias adferre optavimus, non poetæ dicti immemores :

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes [1].

---

[1] Propertius. II, 9.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. X. Kal. Jun. anni MDCCCLXXXIX.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

TABULA.

INSULÆ. TYPIS L. DANEL.